

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15

BELISARII  
AQVI VIVI ARAGO-  
NII, NERITINORVM DVCIS,  
aliquot atireoli verè libelli.

DE  
PRINCIPVM LIBE  
ris educandis:

DE VE NATONE.

DE AVCVPIOS.

DE RE MILITARI.

DE SINGVLARI CERTAMINES.

His additum est eleganti poematum MICHAELIS  
MARVLLI de principum institutione,  
nunquam hacteniu*m* editum.



BASILE AE.  
Ex Officina Petri Pernæ.

BELISARII (2)  
AQ VIVIVI ARAGO-  
NII, NERITINORVM DVCIS,  
aliquot atreoli verè libelli.

D E  
P R I N C I P V M L I B E-  
ris educandis.

D E V E N AT I O N E:

D E A V C V P I O S

D E R E M I L I T A R I

D E S I N G V L A R I C E R T A M I N E

Hic additum est elegans poematum MICHAELIS  
MARVILLI de principum institutione,  
nunquam hactenus editum.



B A S I L E A.  
Ex Officina Petri Pernæ.

AD ILLVSTRISSIMVM ET MAGNANIMVM  
COMITEM, IVLIVM, COMITEM  
Salmæ & Neoburgi ad Oerium, Freista-  
dij, Schintaviæ, Temetvini, Richenoæ,  
Stampæ dominum, Cæfarei con-  
silij senatorem pri-  
marium.



*Ntibi tamdem, Iuli Co-  
mes amplissime, promis-  
tos aliquoties, quū apud  
vos anno superiore pro-  
ximo Viennae degerem,  
tuque me, pro singulari humanitate tua,  
perbenigne complectereris, Belisarij Ne-  
ritinorum Ducis libros, ad vestri potissi-  
mum ordinis hominum studia pertinentes:  
quos & cum imperatoris Byzantini, Ma-  
melis Paleologi, preceptis educationis  
regiae coniungendos, & graui de causa pu-  
blicandos hoc tempore puta vi. Ausus est e-  
nim patrum memoria tum de Principe,*

## EPISTOLA

tum de omni administrationis ratione, qua  
pace, qua bello, commentarios scribere Ni-  
colaus quidam Machiavellus, Florentine  
reipublicæ tabularius, acuti quidem inge-  
ny vir, sed intèstabilis, & pestilentissi-  
mus improritatis magister. Quippe dum  
se prudens & egregy principis quasi for-  
man expressurum ostendit, & tam lucu-  
lento promisso lectorum animos illicit: ve-  
rissimis & impietas & tyrannici domi-  
natus, astu, quo iure, qua iniuria con-  
stituendi, præceptis imprudentes ani-  
mos imbuit. Hinc illa fœda nefariaque  
axiomata, quæ possum in eius scriptis re-  
periuntur: Ante omnia dandam operam  
principi, ut religiosus esse videatur, ta-  
metsi recipere talis non sit: Fidei, clemen-  
tiam, liberalitatem, esse virtutes admodū  
damnosas principi; cui tamen expediat, si  
eas tantummodo præferat: Malis mori-  
bus implendam gentem, vel civitatem,  
de qua vindictam sumere princeps nullo  
negotio

## DEDICATORIA.

negotio cupiat: Alèdit factiones inter sub-  
ditos, & amices boni publici de medio  
tollendos, conservandi dominatus caufa:  
Debere principem imitandum sibi propo-  
nere Cæsarem Borgiam, Alexandri sexi,  
spurcissimi Pontificis, nequissimum filium:  
Hocci faciundam principi, si crudelis ha-  
beatur, modò hac via subditos dicto audiē-  
tes efficiat: Principē, qui pacis tempore fa-  
ctiones inter suos alat, eis ex animi sui libi-  
dine facilius imperaturum: Præstare  
principi, si metuatur, quam si ametur: Cru-  
delitatem, quæ bonum ad finem tendat,  
nullam reprehensionem mererit: A periu-  
rijs, fraudibus, simulationib. minime prin-  
cipi abstinentum; quum impostori se sem-  
per offerant, qui circumveniri possint. Hi  
sunt egregy Stygæ istius viperæ partus, nō  
omnes quidem illi, sed è multis eximi: quæ  
tamen ea fœtus suos arte tum vestire, tum  
exornare potuit: Ut regum in aulis hodie-  
que tantum non insinufoveantur, & ex

## E P I S T O L A

ipsum præscripto pleraque, non sine gra-  
vi bonorum luctu, & præsentissimo Rei-  
publicæ Christianæ exitio, gerantur. Ne-  
que diu est, quum tandem aliquando præ-  
stantis ingenij, magnæque doctrinæ vir-  
absurdissima portenta, sub speciosis laten-  
tia larvis, non solum peritè detexit; ve-  
rumentiam solidis, & gravibus argumentis  
refutavit; cuius ego rationes uti vehe-  
menter probo, confirmatas exemplis opti-  
mis ex omni antiquitatis memoria repeti-  
tis; ita, ne viliis scribæ virus, latè cetero-  
qui diffusum, longius adhuc serpat, rectè  
me faciurum existimavi, si nostrorum ho-  
minum animos, eorum præsertim, qui ad  
gerendam rem publicam educantur, pro-  
fecio à sapientissimis duobus principibus  
antidoto murarem. Nam quis homini  
obscuro & impudenti fidem habeat, ea  
tradenti, que omnem & pietatis, & bone-  
stirationem, ipsumque societatis humanae  
vinculum, quod fides est, radicitus ever-  
tunt;

## D E D I C A T O R I A.

tunt; si diuersū ab alijs præcipi videat, quos  
augusti regij generis maiestas, eruditiodo  
Etinæ, virtutis decus, rerū præclarè ge-  
storum gloria, supremiq; in genere huma-  
no fastigij cōmendat auctoritas? Hi enim  
suis hinc libris, quos ego nunc primus in lu-  
cem profero, cōtra nefandas & exsecrabi-  
les illas Machiavelli regulas, disertè mo-  
nent atq; præcipiūt, nō specie tenus, sed re-  
ipsa religiosum esse debere principē; quū si  
maximè fucū mortalibus faciat, & eternum  
tamen illud cæli numen fallere nulla pietas  
umbra posse: Fide, clemētia, liberalita-  
te, nullas esse virtutes magis regias, nec ha-  
rum simulationē diurnā esse posse: Nihil  
improbè faciundū, vt animorū libidini sa-  
tisfiat: In rebus humanis nihil esse pace at-  
que concordiam melius, quam uti conservēt  
inter suos, omni studio principibus adni-  
tendum: Ad boni principis officiū pertine-  
re, vt exēplo Dei, bonos & amātes reipu-  
blicæ cīves præmij ornet, malos puniat:

## E P I S T O L A

Optimorū principū exempla, non tyranno-  
rum, & emulari proceres frugi debere: Ta-  
metsi tyrannis aliquamdiu res prosperè ce-  
dant, tamen pœnæ dilationem, supplicij  
gravitate divinitus compensari: Omnem  
seuicia & immanitatis notam principi fu-  
giendam, & stabilius esse imperium, cu-  
ius sit custos pudor, non vis & metus:  
Tyrannorum esse vocem, Oderint, dum  
metuant: Eam de se opinionem in animis  
hominum excitare debere principem, ut  
nudis promissa verbis sanctius præstare  
credatur; quam quæ alij sacramētis inter-  
venientibus sint polliciti. Mitto cetera,  
quæ de procerum institutione, atque omni  
officio, divina sapientia quadam hi duo  
magnum principes libris hisce sunt comple-  
xi: quos equidem lubens, ob indicatam  
modò causam, & publici iuris facere; &  
ad te, IVLI, Comes illuſtrissime, ceu  
perpetuum meæ in te, clarissimamque fa-  
miliam tuam, obſeruantie pignus, mittere  
volui.

## D E D I C A T O R I A

volui. Nam preterlibetum, qui est de prin-  
cipum liberis educandis, etiam alia Dux  
Belisarius scriptis, de venatione, de aucu-  
pio, de re militari, de iusti duelli legibus;  
quorū lectio sicut tibi, gravissimis occupa-  
tionegotijs, & harū rerū omnīū perito, nul-  
li effusui poterit: ita generosiss. indolis  
puero, VVicharto Comiti, filiolo tuo, ubi  
feliciter adoleuerit, cōiunctia cum lauda-  
tissimi nominis tui mentione, fortassis &  
grata erit, & emolumēti nō nihil adferet.  
Quippe quæres à puero tibi fuerunt in de-  
licys, liberalis doctrinæ atque omnis litte-  
rate sapietiae cognitio, & rei militaris sciē-  
tia; quarū altera tibi eximiā supra cete-  
ros in consultationibus senatorijs auctoritatem  
conciliat, altera propter vii nos bar-  
baros est opus: ad eas res sic excitari se fū  
Belisarianorū scriptorū lectio, tū a vitæ  
paternæq; virtutis prædicatione sentiet, ut  
aliquando futurus sit, instar illius Home-  
rici principis,

## E P I S T O L A

Rex pariter bonus, & præstas bellator in armis.

Vtrah certè laus hactenus, maiorū vestrorū, & vestro merito, familiæ vestræ pecularis est. Nā, ut omittā vetustiora, de origine gentis vestræ, ab Australiæ Latorringiaq; regibus, longa seculorū serie, repetita; in paterno monumēto vestro Viennæ, præter alia de rege Gallo ad Ticinū capto, & Solymano, potētissimo barbarorū tyranno, ab urbis Viennensis obsidione fortissimè reiecto, perpetua tropæa conspicimus: quæ Ferdinandi Cæsaris, optimi veræ virtutis estimatoris, auctoritate ac iussu ereta, Nicolai Salmae Comitis heroica planè facinora posteritati cōmendat. Ibidē sepulti sunt Eggyj, fratris tui, magnanimi & amantissimi patriæ ducis, cineres: cuius immaturam mortem ne nūc qdē universa depolare cessat Hungaria, cui vi vus instar muris & clypei cōtra barbaros erat. VVolfgāgus ante patruus, Passavensis Pontifex, litterarum & sapientiæ gloria clarus, haud postremum

## D E D I C A T O R I A.

postremum inter magnos imperij Romani principes locū virtute sua promeruit. De cuiusdeniq; IVLI Comes humanissime, fratrisq; tui Nicolai dotibus, hoc loco parcus aga, ne in os, quod impudentis est, laudare videar. Vnū hoc dicam, vos vtrah studujisse consequi, quæ in superioribus istis singulafuerint, adeoq; Martem cū Musis feliciter coniunxisse. Quod supereft, etiā atque etiam oro, vt meū in dicando tibi Belisario consiliū probes, & exsecrādis hominibus, Machiavellicas artes in perturbanda Republica Christiana sequentibus, fortiter adversari pergas. ex arce Burghamensi. a.d. III. eid. April. anno

nati servatoris CIO. IO.

L X X I I X.

Illustris. D. T.  
addictiss.

Leunclavjus.

A D L E C T O R E M.

**Q**ui memori veterū voluet monumēta virorum  
Mente, quibus seris ævi quibus alta vetustas  
Tutaq; transactæ custodia credita vitæ est,  
Inuenies primæ repetens ab origine mundi  
Splendida facta ducum, quos extulit aurea fama  
Gloria per terras diuerso sole calentes,  
Siue peracta toga fuerint, seu Marte feroci  
Præside gesta Deo, qui vastum temperat orbeum.  
Ipsi tamen casus etiam comes iuit in omnes  
Et grauis, & constans & nescia cedere virtus.  
Viderat hoc olim doctissimus ille pelasgum,  
Infracto qui lethiferum bibit ore venenum,  
Dum teneris format sic nobile peccus ab annis.  
  
Inchyta progenies magno de sanguine regum  
Edita, virtutem primo miretur ab ævo  
Qua sine nil ætum memorabile pace vel armis,  
Quod natos olim iubant meminisse parentes.  
Cernimus, hæc vera perducit ad æstibera laude  
Insignes pietate duces, & fortibus ausis,  
Cumq; sit in regno subitura parentibus olim,  
Ut regat innocua populos in pace potentes,  
Imbibat banc sensim primo cum lacche tenellus,  
Comprimat affectus nutrix, ornata pudicis  
Moribus, in gremio tenerum dum lactat alumnūm,  
Prima rudi formant alimenta in corpore sensus,  
Postera quois vita comites circumferet ætas,  
Indolis egregios opera ad maiora creatæ  
Effe decet motus, diroq; carentia felle.  
Pectora, sic olim nomen sublime parentis  
Audiet, inter auos titulis illuſtrior omnes.  
A sox etiam, ut primum viridi pubescet in ævo,  
Dum vigor ingenij crescentibus incipit annis,

Prodere

Prodere naturæ bona semina, regius artes  
Iam puer ingenuas, doceo tradente magistro,  
Condiscat, sanctorumq; fidem, quibus oimnia forti  
Tædia mente ferat, si fors ita poscat & vñus.  
  
Cumq; nimis clarum famæ continget honorem,  
Si decus imperij si publica commoda curet,  
Tunc prætium vero decorabit principe terras,  
Cum fuerit quatuor virtutibus ordine pulchro  
Conspicuus, queis fortunam superabit utramque.  
Ergo ut erit firmo mentis generosa propago  
Prædicta iudicio, maioribus utile tempus  
Collocet in studijs, animo sublimis acuto,  
Et nunc býstoriae campis p̄patietur apertis  
Nunc tamen & sophie cultis desuet in hortis.  
  
Nestora quin etiam fidum, ceu numina diuum  
Suspiciat, lateri q; sensit iuncta probati,  
Quia teneram formet morum pietate iuuentam,  
Hunc amet, hunc colat, huic semper adhærat vni,  
Hic doceat primum sanctas pia fædera leges  
Virigidas gentes, iurisq; minister & æquus,  
Contineat vero vita milioris in uſu.  
Namque gerit faciles ani nos, & pectora, vulgus,  
Seditiosa nimis, Probelo inconſtantius omni.  
  
Nec minus instruſtum diuino peccus amore  
Egregie ſobolis doctus ſuccendit alumnus.  
Si petet à vero rerum munifico parente  
Auxilium quondam ſubito impidente tumultu  
Quiſibi dilectos trepidæ formidine feruos  
Erigit, eſt ſine fine bonus ſine fine fidelis,  
Qui mare, qui terras, qui ſydera cuncta creauit,  
Hic ſolus duris cum fors premit aſpera rebus  
Prefat opem, ſcuti q; recludit aſyla potentiis:


*P*tque etiam regum sincera perambulet olim  
Rellgio, sit cura pio non ultima regi.  
Est aliquid magni pro laude tonantis acerbas  
Fortunæ perferre minas mortemq; pacisci.  
*P*roxima iusticie sapiens documenta magister  
Edoeat, sanctosq; simul perducat in usus.  
*H*æc, magnos super astra duces fulgentibus aliis  
Dicit, q; in summo celebres locat æthere, virtus,  
Que nunc astrigeri sublimi in vertice coeli  
Confedit, terris scelere atque libidine plenis:  
*O* vtinam magno tandem miseratus olympos  
Tot gemitus, pater omnipotens, mortalibus ægris,  
Demittat cælo rursum pia dona senecto;  
Illud enim verè sanctum & venerabile nomen  
Iusticia, recto iura omnibus æqua ministrat  
Tramite, munib; nunquam violabile cœcis.  
*T*ertia magnanima sit maxima cura iuuentus,  
Ut regat affectus, duris nisi corda lupatis  
Strinxerit, exultans menti scelerata libido  
Imperat, q; iunctam stimulante libidine tandem  
In præceptis agit, extremis coniuncta periclis.  
*H*æc olim magnas euerit funditus urbes,  
Dum collo accipiunt docili iuga dulcia primum,  
Horrida sed tandem, vetita experimenta voluptas  
Rite Deus hominem ut celos ad sydera vultus  
Tolleret effinxit, sed cetera stravit in alium  
Ut volucres, pecudumq; genus, formasq; ferarum.  
*U*ltima nunc moneo, belli dux optimus artes  
Nouerit, has ficti dabit experientia Martis,  
Regia quam teneris pubes tractabit ab annis.  
Principio dubio nondum calfacta duello  
Pelitis basta petat cumulum flalientis arenae,

*Q*uin etiam viridi nemorum studiosus ab ævo  
Militer in sylvis, altosq; indagine montes  
Cingat, agens pauidos in subdola retia ceruos.  
Interdum pharetram ex humeris suspendat & arcus  
Impiger, ut capreas aut fulvo tergore damas  
Adductis feriat nervis & arundine recta.  
Nunc etiam duro proiectus stramine, noctes  
Insomnes peragens, frigusq; famemq; domabit.  
*T*unc quoties patriæ rerumq; pericula poscent,  
Arma feret primus, campo bellator aperto  
Exultans, ut cum messes populatur & agros  
Horrida diluvies hyemalibus orta procellis:  
Si bonus armorum patriam formidine princeps  
Solut, & æterna populus in pace beabit.  
Amphytrionides bac arte relatus in astra  
Fingitur, bac Macedo captiuo brachia cœlo  
Iniecit, fratres bac, lucida sydera, Gray  
Eripiant pauidos magno discrimine nautas,  
Hæc decus Aonidum facundo protulit ore,  
Docti Periclitile dum dat præcepta venusto.  
*Q*ue sapiens etiam magna Belisarius arte  
Tradidit, hoc tenero pulchre complexa libello,  
Hi, puer excelsis regum nutritus in aulis,  
Pacis & armorum est studijs operatus amicis,  
Nec rutilo minus ene bonus, minus utilis hasta,  
Quam culto grauis ore, & Apollinis artibus ingens,  
Non bona tot Tagus occiduum qui præterit orbem  
Nec matutinis radijs subiectus Idaspes,  
Atque metalliferas Hermus famosus obvndas,  
Crisibus obliquis per prata silentia voluunt,  
Quot ducis egregij doctus fert commoda setus.  
Vna manet tellus reges miserosq; colonos

*Serius aut citius cunctos violentia fati.  
Abripit, orta ruunt, magnisq; potentia mundi  
Interit, ac virtus quæ magno parta labore est  
Inter honoratos duratq; dignetq; nepotes.  
Hanc etenim memori vatu labore eximit ævo.*

*Magnanimis igitur iuuenes beroibus orti  
Si pater æt<sup>er</sup>crei, cui subsunt sidera celi  
Si pia religio mortalia peccora tangit,  
Si laudes, & bonus, nisi id si gloria vultus,  
Si decus, & letus qui ducit ad astra Triumplaus.  
Aurea, sunt vobis confecta, capessite dona.*

BELISARII A Q VI  
VIVI ARAGONII, NERI  
TINORVM DVCIS, DE PRIN-  
cipium liberis educandis  
liber.



Vum malevolorūm ho-  
minum invidia, vel ma-  
lignantate potius, arma re-  
linquere, & otium quæ-  
rere cogeremur ; in ma-  
xima regni perturbatio-  
ne, ut erga principem fidem servaremus,  
in non parvo vitæ discriminē constituti;  
quæ ex re ab hominum conspectu sepius  
nos abdere, quasiq; in solitudine esse co-  
pellereimur : quod à prudentiorib; ac-  
cepissimus, ex malis eligenda minima, &  
excepanda de ijsdem, si qua inesse bona  
videantur ; litterarūm otium elegimus.  
& quod securiores à malignorum infesta-  
tione nos redderemus, armis reliquis,  
quando fatis ita placuit, ea scribere insti-  
tuimus, quæ mea ætate digna esse vide-  
rentur. Sed quoniam malignorum ho-  
minum ea est natura, ut quos semel per-

a

## 2 DE EDUCATIONE

sequi ceperint, eos si vel civilibus, vel militari, negotijs interesse viderint, à malignitate sua, maledicendo nunquam discedant: aliorum moti exemplo, ad scribendum ea, quæ principibus convenienter, studium nostrum curamque convertimus: quū maximè ista moralis philosophiæ pars, quæ ad principem adtinet, non inelegans sit. Et quum ab alijs, qui non ex principum ducumve genere orti sunt, eo ordine non scribatur; ipse quoq; de illa scribendum censui. Africanus Scipio, totque Romanorum alij, qui etiam belli exercitijs clarissimi sunt habitu, tandem sese otio dediderunt. Nos vero non iij sumus, qui amore liberorum, uxorisq; bladicijs ac lacrumis impediremus, quo minus patriam desereremus, vel maiorū nostrorum mores vestigiaque non imitaremur, & à quibus arma foris exercenda non invenirentur. sed quando regni nostri consuetudo & leges eæ sunt, ut sine principis voluntate iussive, quivis sit, inde discedere non possit: familiā nostrā hac de causā discedēdo minimè perturbandā esse cēsuimus. Itaq; ne ab otij solitudinisq; languore detineri videremur,

de prin-

## PRINCIPIVM 3

de principum liberis educandis, eoruīque officio quædā scribere decrevimus. Et licet antiquorum permulti utilissimo hoc scribendi genere, quod etiam ad beneviyēdi institutionem pertinere videtur, usi sint, nec ullorum iudicia veriti diixerint, non de morum institutione ab illis scribi debere, a quibus prius proprij mores non cognoscerentur: tamen eorum exemplo motus allectusque, qui posteritati tantum consuluere, (non enim hominum fortassis invidia & æmulatio eis adeò curæ fuit, ut quæ ad bene vivendum attinerent, silentio præterire vellēt) pauca hæc litteris mandare volui: quæ tametsi ab alijs elegantius copiosiusque fortasse prescripta sint, nos tamen alium scribēdi ordinem sequēdum censuimus. Scribimus igitur hæc, non quod ceteri, quamvis ex principum progenie nō sint, his præceptis non indigeant: (nam ex plebe multi sunt, qui bonis moribus imbuti, ad principatus, magnasque dignitates alias pervenere) sed de principibus maximè, eorumque officio, quum in hominum luce versentur, omniaque moderētur, brevius sanè, quam res ipsa fortasse

2 2

#### 4. DE EDUCATION.

postulat, ac bene vivendi præcepta exigunt, disservi: ut illi, quos vel maximè amandos censerem, principatus resque publicas perfectissimis administrarēt, rebusque necessarijs omnibus opportunius providerent. Pueri namque bene instituti faeti iam viri; modestius, rectius, prudentiusque vivent. si malè morati fuerint, in vitia prolabi eos necesse erit: sibi-que in primis, ac ceteris perniciem, totique regno, reive publicæ eversionem, excidium, interitum adferent. Opusculum igitur hoc, qualecumq; sit, si non pro materia dignitate bene perpolitum erit, tēpori tribuatur. alijs enim negotijs imbeditus, illud perficere haud potui. si quis autem scripta hæc mea legere non deditur, scribentis tātum aīimum percensabit: qui potius agendū aliquid laude dignum, quām otio torpendum, semper existimavit.

P U E R O S A M V L I E R V M C O N-  
tubernio consuetudineq; removendos, & ad reli-  
gionem instituendos esse.

**I**Gitur parentibus in primis opera dan-  
da est, ut generose pudiceque mulieris

laetē

#### PRINCIPIVM. 5

laetē filij nutriantur. etenim nutricis lac primum pueris alimentum præstat, atq; in carnem convertitur: adeò ut bonæ malæve habitudinis, vel naturæ, vel (si à doctis viris dici permittitur) complexionis principium omnino sit. Principium vero plus quā rerum dimidium esse, Aristotel. ex Hesiodo tradit. Quare admittendum est, ut lata plurimum nutrix, nō temulenta, non garrula, qua nutritri liberi possint, habeatur. Nam prima illa nutricis educatio, multum etiam ad puerorū institutionem facit. Et licet principum liberi à præceptoribus, mōrumque magistris, postea doceri possint: facilius tamē ad eruditionem, bonis antea moribus imbuti, progrediuntur. Bonorum itaque morum, placidiisque sermonis, infantium nutrix esse debet: ut primæ liberorum institutioni provideatur. eritq; postea omni cura studendum, ut quanto citius fieri poterit, à mulierum cōtuber-  
nio liberi removcantur: ne effeminati adoleant, ne blando & delicioso feminarum luxu, quo viris multum liberalitatis & fortitudinis auferri solet, corrumpan-  
tur; ne rebus illiberalibus adsueti, diffici-

a 3

## 6 DE EDUCATIONE

Iuns virtutum maximarū vestigia sequantur. Nimirum pædagogo, & optimorum virorum institutioni tradendi sunt: quorū præceptis, virtutibus principe dignis instrui possint. Alexandrum regem in incessu Leonidis pædagogi sui, & in morib. non potuisse carere vitijs legimus, quibus parvulus fuerat infectus. Religione verò primū, quæ quū in omnibus præcipua, tum in principibus esse debet, eos instruant; exemploque moveant. Principem enim oportet, ut Aristoteles ait, religioni imprimis animum ita intendere, ut minus à populis timeatur, ne quid iniuste ipsi patientur. Siquidem in illū consipitate non audebunt, cui deum optimū maximum fautorem ac vindicem futurū existimabunt. Nam eam religionis esse vim scimus, ut etiam à vera disiungi sapientia nequeat: quæ quidem si quandoque à religione divellitur, extra fines suos evagatur. Itaque religio studiosè à principibus est querenda. quippe tanti apud omnes semper religionē fuisse constat, ut priscis illis temporibus, multò ante Christi adventum, deorum numina, pontificum scientia, augurum observatio-

## PRINCIPIVM. 7

tiones, prodigiorū procurationes, vatū libri, in p̄tio haberētur: tantumq; antiquis studiis, tanta religionis observātia fuit; ut à mundi principio, ante urbium constructionem, ante gentium populorumque divisionē, religio ab hominibus maximè coleretur. quamvis nullum sacrificium, nullusq; maior cultus à principe offerri Deo possit: quām si se optimum populis, iustissimumq; præbuerit. Quapropter adnitendum est, ut pædagogus religionis observātissimus habeatur: qui tum antiquorum, tum recentiorum exemplis puerorum animos ad religionis observantiā incitet. Delectantur enim pueri, quum Romanorum, Gr̄ecorum, exteriarumque gentium exempla recitantur. Exemplo enim magis, quā doctrina, hominum animos moveri certum est: quū à tot annis opulentissimarū florentissimarūque civitatum populos ad obcunda præclaras facinora religione compulso audiunt. inde factum, ut etiam imperia sacrī inservire non dubitarent; omniaque post religionem ponenda videretur. Quæ si attentis semper auribus pueri audient, religiosissimi evadent: o-

## S D E E D V C A T I O N .

mniaque,quum adulti fuerint,ad Deum referent:cuius numine nutuque civitates,urbes,regna,exercitus,regi,gubernari,ducique perspicimus. Multorum ad hæc ducum ac regum accedet exempla, quos nostris præsertim temporibus vidimus:quorum gesta et si felicissima fuerunt,religione tamè præcipue multa eos adsequutos fuisse scimus:quæ, nisi multorum animos illa traxisset, haud certe consequuti fuissent. Aragonum regis exemplum,inter cetera, se nobis ante oculos offert. nam alia, ne longiores simus, prætermittimus. Is Christiano nomini tantum se debere semper existimavit, ut Christo debitum nunquam bello lacefiverit,votoque seipsum devinxerit,tantum se propagulaturum, nulli vero iniuriam illatum. quo factum est, ut omnia ex ideo illi succederent,ac parva etiam manu multos Africę populos,nomini Christiano infensissimos,suę ditioni,veręq; Christi religioni subigeret. omnes enim principes religioni dediti, felicissimum exitum; è contrario verò, qui in religio-  
si fuerunt,infelicissimum habuere.

D E

## P R I N C I P U M . 9

D E L V D I S , Q V I P V E R O S D E-  
ceant : ac literarum studijs maximè à puerō  
incubendum.

**A**Nimadvertisendum est, debere principium liberos, quum pueri sunt, ludis aliquando quibusdam exerceri; quibus non enervari, sed potius ad pugnam accendi eorum animi videantur. nam semper ut modestiæ gravitatique pueri incumbat, haudquam fieri potest. Nec verò adeo à pædagogo continendi sunt, adeoque coercendi; ut vel frangi puerorum animi videantur: sed quandoque pælestra, quandoque varijs armorum generibus pro ludis utantur. Rarius tamè musicæ oblectamentis animū demulcent, ne ijs gaudere adsuescant, quibus demum effeminari possint: sed equitando, venando, omniaque agendo, caloribus atque frigoribus uti consuescant. Cofert enim pueris, ut Aristoteli placet, à pueritia frigoribus adsuescere. hoc siquidem ad sanitatem & res bellicas est utile. Ad cuncta nimirum, quæ fieri possunt, ab initio melius adsuescimus. Ludi ergo puerorum neque illiberales, neque remissi sint: (paranda namque solatia sunt in iuventute,

a 5

## 10 DE EDUCATIONE

quæ honestam senectutē oblectare possint (ut ex eorum imitatione, quæ postea seria eveniunt, facilius & æquiori animo ferant. Quum autem litterarum capaces esse videbuntur, præceptoribus tradendi sunt, à quibus nō minus litterarū studia, quam boni mores hauriri possint. Multū enim regendis civitatibus, rebusque publicis, faciūt litteræ. Nicēphoro visū est, regni philosophiæq; eamdē esse rationē: ita ut affinitatis aliquid cū regno habeat philosophia. Nam scientiarū scientiam, artemq; artiū philosophiā nominamus. Regnū verò alijs regni provincijs, ac regē ceteris regni principibus, dicimus imperare. Nec enim aliud, qui eruditis imperat, dici potest, quā philosophantiū usum exercere: quod maximè leges qui statuet, philosophiæ moralis expers esse nō debeat. Quare Plutarcho etiā visum est, sicut puero nō cōmittendas esse divitias ita nec indocto viro imperiū: quū solus sapiens, ut Aristot. placet, deorū amicissimus esse videatur. Quid enim est magnitudo imperij, quid urbes, regna, ceterarū quæ rerū amplitudo in principe, si nō idē sapiēs sit? qui tūm sibi, suisq; rebus, tum eorum,

## PRINCIPVM. . . . . II.

corū, qui regno subsunt, possit ac sciat in columitati consulere. Aut quod se dignū munus exhibere potest, qui nec per se sapit, nec audiēdis viris, studio sapiētię præditis, operā dandam curaverit; nec antiquitatis memoriae incūbit? q; totos dies inanibus sermociunculis, convivijs, scurilitate, atq; libidinibus explēdis cōterit? Siquidē Nerones, Sardanapali, alijq; eiusdem generis ij fuerūt, qui vitiatis corruptisq; moribus, nihil principū fastigio dignū præstare de se potuerūt: quos non solum foedo exitu interisse par erat, sed ne quidē editos fuisse: qui disciplina sapiētię neglecta, præceptisq; bene vivendi contemptui habitis, regiā dignitatē obſcenis facinoribus, atq; omni genere dedecoris fœdaverunt. Cōtra verò, propter opinionem virtutis, summęq; eruditionis, fama adhuc ad immortalitatē extulit Octavianū, Antoninū, Nervā, Traianū, aliosq; summos principes; quorum multa & dicta prudenter, & facta constanter, & administrata sapiēter regna atque imperia memorantur. Et quantumvis parrem non omnes ingenij bonitatem à natura sortiti sunt principes, ut quæ

subditis conducant, satis perspicere possint: legendo tamen interdum, quæ præclarè doctissimi viri scripserunt, aut per cunctando maximam laudem adsequentur. dumque administrandarum rerum curis animus subtrahendus est, ad libros contemplandos, tamquam è tempestatū fluctibus in pertranquillum portum, animum traducant. Socrates iam aetate proiectus; fidibus operam dedit; magistroque digitos suos componēdos commisit. Cato etiam Romanus, putans turpius esse nescire, quam discere; Græcas litteras senex didicit: quod existimaret beatos, quibus dei optimi maximi munere datum esset, aut facere scribēda, aut legenda scribere, beatissimos vero, quibus utrumque. Qua de re conādum est, ut omni aetate discamus; quæ nobis omnia è litterarum scientia notiora sint. Saltem quid imitari, quid evitare conveniat, exemplorum lectione magis intelligi potest. Nam si senum sententias admirandas putamus, ipsosque prudentiores iudicamus eò, quod multa eos vidisse necesse est; qua è re illorū dicta libenter audimus: quanto magis antiquorū libri,

libri, in quibus recta vivendi ratio continetur, in quibus multorū seculorum res cōmemorātur, legēdi sūt. Quamobrē optimè Isocrates ait, quod ab athletis nō tato studio corpora curanda sint; quanto à principibus animus excolendus.

Q V E M A D M O D V M A D O L E-  
scēntuli sint instituendi, ex à quibus cave-  
re debeant.

**Q** Voniam autem diximus, quo ordine circa principum educationem puerorum procedi debeat; pauca etiam, quæ adolescentibus ipsis cōvenire videantur, dicenda sunt. Tales itaque morum magistri inveniendi, eligendique à principibus sunt, qui turpibus notis careant, qui vitijs & inhonestis rebus deditos homines horrescant, qui ament, non adulēt. Nam quimi glorię honorumque cupidi iuvenes sint, & ut facile decipientur, idonei; (quod Aristoteli placet) adulacionem penitus omnem principes fugiendam esse censcant. ea namque sæpius civitates, regna, principes, pessum issevidemus. quamobrem adulacione quis delectari non debet, qui mētem habeat homine libero dignam. Natura sanè insitū

est hominibus,maximè principibus,quū magni animi sint,ut laudibus delestantur:quæ quidē ut verē non tacendē sunt, sic à falsis,ne periculum pariant,(nam adulatioibus decipi plerumque principes solent)cavēndum putamus:quòd in primis vitiorum omnium perniciosissimum dici adulatio possit:à qua cavendū adeò est quū pestis animi sit, ut non minus adulatores quā pestē,& quamcumq; rem aliam nefariam,fugiendos esse censēmus. Aures enim adulantibus qui præbet, is omnino suus esse desinit. ex aliōrum namq; adsentationibus omnia potius,quam ex se,staq; conscientia incitat. Nullum enim genus adsentatoribus est perniciosius,nullū quod citius in præcipitia iuventutē deducat. quippe quem voluntatem adsentatores, virtutē boni magni faciant:hi temperantiam, illi lasciā viam; hi labores appetendos, illi secordiā sequendam esse persuadent. Quoē circa scelerissimum hominū genus iudicandum est, qui amicitiam simulātes, pravis consilijs principum dignitati officiunt. Picturam intuenti Alexandro, quæ regis prius imaginē,deinde verò iusticiæ præsefe.

se ferebat; philosophosq; qui aderant, interrogati; quid significare pictura vellet: Anaxarchum respōdisse legimus , à regis voluntate iusticiam procedere.nam Ale xandro adsentari volebat.Id ægrē ferens philosophus alter respōdit,minimè rem eo modo interpretandam esse.Regem enim à iusticia secedētem privati potius, quam principis officio fungi. Quo factū est, ut amicus deinde semper is ab Alexādro adpellaretur. Quamobrem fidi putandi non sunt, qui laudant quodcunq; dixerit princeps, feceritve:sed qui eius eroribus repugnāt, hos fidos, hos amicos esse putamus. Quibus ex causis à magistro morum vitia reprehendenda sunt, omniq; studio à præceptore curādum; ut quid agendum, quid non agendum, quid etiam cavendum fugiendumve sit, instruendus intelligat: quando præser tim, ut apud Isocratem legimus, qui privatos erudit, solos illos iuvare; qui verò pluribus imperantes, virtutibus instruēdos putaverit, non eis solum, qui ad urbiū gubernacula cōstituti sunt, verū etiam rebus publicis omnino utilitatem adferre videtur.

**Q**uoniam autem apud Aristotelem legimus, hominem natura, morib. & ratione indigere; naturaque principū liberos, ceteros antecellere: his moribus instruendi sunt, ne aliorum quandoque puerorum, adolescentiumve consuetudine mala corrumpantur, improbiisque & ipsi efficiantur. Quare verborum in primis obscenitate uti ne adstescant, quū ex turpiter loquendi licentia, turpe aliquid quandoque ab ipsis fieri videamus. nam pravæ cōfabulationes via quædam sunt ad improba facinora. Quamobrem à præceptoribus, morumque magistris, monendi in primis sunt adolescentes; ne sermonis turpitudine ad libidinem quoquo modo provocentur: quia illecti postea ijs aliquando iniuriam inferant, qui præcipue honorem magni semper faciūdum existimant. Persuadeant sanè sibi principes, quantum ipsis præstādum honoris à cæteris putaverint: tantum ut alijs omnino præstare studeant. Censuit Aristoteles, ab omni abstinentum esse contumelia, & à duabus præsertim; ne

prin-

princeps in subiectorum corpus flagris, neve in suos libidine insultet. His enim præcipue rebus animos adeò putamus offendī, ut aliud nihil irritare magis homines videatur. At verò si principū plures instituēdi simul sint liberi, maxima à præceptoribus morumq; magistris adhibenda est cura; ne alterum alter contumelia adficiat, unde odia inter ipsos posse concidentur. natura siquidem magni animi viri contumeliosis infesti sunt, ac fratres præsertim fratribus: quū proverbio quoque dicatur, fratrum iras & contentiones acerbissimas esse. Nam quise invicem nimium amant, eos vicissim eventu quodam disiunctos, acri sese odio prosequi necesse est: quum si à quibus beneficium exspectat, ab eis lœdi se quispiā arbitretur, id pati nullo modo possit.

**Q V I D M A X I M E P R I N -**  
*cipem deceat.*

Ipsam autem naturam diximus principibus maximè opitulari, quum à parentibus orti sint, quibus inesse virtutes solent. Nam sicut à ficubus non nisi ficus, à pirus non nisi pira gigni possunt: sic & à

b

principe bene educato, institutoque, ac virtutibus praedito, non nisi virtuti datum principem nasci consentaneum est. Nec enim cogitari aliquid turpius possit, quam quod pietorem videamus quam proxime ad similitudinem aliquius animantis imaginem pingere: filium vero patris virtutem non imitari, que sola rebus omnibus praestat. Quippe si iuventutem ipsam consideramus, vel morbo aliquo, egritudineve, vel senectute deturpari eam necesse est. Si cum divitijs comparandam quis virtutem censeat, eo praestantior virtus invenietur; quod suller-tissimus quisque desidi, quod placidus iracundo, quod fortis timido præfertur. Si cum externis alijs bonis comparemus, malignitatis desidiæque plurimum in eis repertiri continget. Si vero corporis viribus virtutem postponemus, temeritatem sapienti vires, si virtutis modum excesserint, tribuere hominibus solere percipimus. Quare virtutem ipsam his omnibus preferri debere, necessarium est: qua in primis adnitendum est ut principum filij erudiantur, quum virtutem postea cum ipsis simul senescere necesse sit. Nam ut ventorum

torum impetu fumus, flanteve borea nubes aliqua impellitur, ac tandem ex hominum oculis fugiens evanescit: ita etiam divitarum imperijque gloria sine virtute fluxa ac fragilis est, solaque virtus clara aeternaque habetur. Vlyssem naufragio eictum in litore, nudum vestibus, virtute tamen ornatum, Phæacum multitudo conspiciens, ceteris fortunatis Phæacibus venerabiliorē admirata est. quamobrem & poetarum princeps Homerus subiicit, debere virtutem mortalibus esse curæ. Sed quoniam de ipsis, quæ ad puerorum educandorum mores spectant, pauca dicta sunt: restat ut de principis officiō dicamus, quod rationi subest. Nihil enim, ut Aristoteli placet leges profunt, quæ à gubernatoribus decernuntur, (de principiis enim hoc intelligi debet) nisi quæ leges statuunt, bonis moribus instituti, rationique obedientes fuerint. Quocirca omni studio conandum est, ut ceteros prouidentia princeps antecellat. quoniam in promptu est, talia fore imperia, quales eorum sunt mentes, à quibus imperia gubernatur. Erit igitur primum regiae disciplinae documentum, ut omnē vitæ simu-

## 20 DE EDUCATIONE

lationem à se princeps alienam putet. Integritatem è cubiculo in aulam atque in publicum efferat, isq; omnino sit, quem se haberi ab omnibus cupit; qui virtutē integritatemque vivendi colat. Non qui deposito diademate nihil habeat, quod admirari quisquam, præter fortunā, posse. Simulatio omnis è vita principum tollenda est, nisi quæ prudentia, consilio, que togæ, atque otio conducibilis sit. Nam adeo in eminentissimo loco principes degunt, ut eorum nihil latere diu possit. Existiment propter ea, se non omnino mortales esse: ad eamque perveniēdum esse sedem, in qua beati ævo sempiterno fruantur. Mortalem enim internam vim hominis nemo adseruit, qui non terræ immersus, voluptati, vitæque huius delineamentis sese obdiderit. Principem non luxu, atque intemperantia, superbiave, ac ceteris vitijs refertum esse; non ira, metu, tristitia, voluptate, varijsque cupiditatib. animū perturbari debere. Homerus scripsit: sed eum, qui sibi & subditis tamquā verus custos, ac populorum pastor, adverat; laudibus extollendum putavit. Præclareque idem quum alia permulta, tum hoc

## PRINCIPVM.

2

hoc etiam dixisse videtur:

Rex unus, cui sceptra dedit, venerandaq; iura,  
Iuppiter: ut que recta forent, & iusta, videret.

Quasi non omnes diceret sceptrum atq; imperium, sed solos bonos, non intemperantes, non improbos, nō ayaros, (quum nec sibi, nec alijs umquam recte dominetur) habere debere. Itaq; princeps, bonus qui reputari vult, subditorum curā post deum habeat. Qua ex causa fiet, ut eum maximo sui amore prosequantur. Nam si ovium greges, si iumentorum armenta, quamvis rationis expertia, curatorem, qui ea pascit, ferunt diliguntque: quanto magis qui rationis participes sunt subditi, si sui curam haberi intelligent, principem observabunt? Et quemadmodum anima & corpus duo sunt, ita quoq; duas esse animæ partes existimamus: rationis expertem videlicet unam, & alteram ratione præditam. Item earū habitus duos esse Aristoteles tradit, quorum alter est adpetitio, alter verò mens. itaque de ijs, que ad mentem pertinent, dicendum est. Et quum à mente proficiscatur electio, mente pollere princeps debet, & prudenter: qua sine urbes, regna, populiisque regi

b 3

nequaquam possunt. quippe quum prudentialis finis sit, præcipere, quid agendum, quid etiam non agendum sit. Prudentisq; officium est circa ea bene consulere, quæ bona esse cognoscuntur. Esseq; agendi habitu idem ait, vera cū ratione circa ea veritatem, quæ bona sunt homini, aut mala. Si quidē principi convenit, ut ea, quæ sibi ac ceteris bona malave sunt, pspiciat & moderetur. Quare ad rem pub. gubernādām is aptus est, qui prudens & tēperans (nam temperantia Aristoteles prudentiæ conservatricē adpellavit) ab omnibus existimat, quas quidē virtutes si princeps neglexerit, nihil laude dignū adsequi se posse existimet. Quid enim magis esset cōtra maiestatē, quā qui aliis imperet, cū intērpretatiæ inservire? Cibi enim, ac potionis, somniq; desiderio, ceterarumq; deliciarū, quibus effeminatur homines, cū temperamento uti decet. Principē in umbra, & plumis, crapulisq; adsidue agentē, unguentorumq; generibus adfuetū, multa vitia necessē est circumstant. Quum itaque virtutū omnium princeps prudētia sit, qua cū virtutes aliæ simul cōcurrunt, neq; ab ipsa sciunguntur, siacq; prudētia elec̄tio fieri haudquā possit: principi

qui-

quidē ipsi prudentiā in primis necessariā esse censemus. quippe quæ expetēdarum rerū, fugiendarumve scientia esse dicitur. Cuius quidē prudentiæ tres esse partes legimus, unā enim memoriā nominamus. Alterāverò, qua id, quod est, intelligimus, mentem dicimus. Tertia autem illa est, qua futura contemplamur; eamq; providentiā adpellamus. Quocirca considerandum est principi, unamquamq; ipsius partē necessariā esse. Siquidē præteritarū regnum memoria, gestarumq; fit, ut omnia, à quib. cavere quisq; debet, princeps metatur: amplexetur ea, quæ imitanda sunt: quæ fugiēda, turpiave, fugiat: atq; ne quid evenire possit, quod à principe nō provisum præ cogitatuvē sit, percipiāt & moderetur. Nec minus principē decet, in prīmis iusticia pollere: quū maximē non ad scolū, sed ad aliū extēdi iusticia videatur. Quare perfectissima virtus est. Cōplures in homines in his, q; ad seipso pertinet, ut virtute possūt. at in illis, in quib. alius cōsiderādus est; iusticia, q; à pravitate absit, nemo carere potest. Quare boni principis officiū est, à pravitate lōgissimē abesse: optimi verò, virtuti adhærcere. Errorē tamē omnes, atq; hominū peccata dignis

b. 4

semper poenit esse punienda, princeps non  
putet, quia mitis ab omnibus, facilisque,  
non crudelis, existimari debet. Dandaque  
est opera, potius ut ab eo sapientia virtu-  
teque civium facta, quam nimio terrore  
coerceantur. Virtutis enim ea vis est, ei-  
que natura, ut ubicumque sit, latere non  
possit. Quod quum ita sit, si iusticia prin-  
ceps pollebit, omnes eius imperii aequo  
patientur animo, illiusque moderationi  
se sponte subiicient: quum iusticia par-  
tes sint, liberalitas, innocetia, pietas, ami-  
citia, concordia, religio, humanitas, forti-  
tudo, temperantia: quae quidem ad reti-  
nendum imperium, augendumque, plu-  
rimi apud omnes aestimatur. Nam tem-  
perantia praeditus nec adulterium com-  
mittendum, nec modo aliquo libidine u-  
ti debere quemquam censet. At vero si  
inter subditos contentio exorta fuerit,  
nullius gratia flecti princeps videatur:  
sed is in iudicando existimetur, ut stabilis  
firmaque eius sententia adparere possit.  
nam si eam immutari quandoque con-  
tingeret, aberrasse forsitan princeps exi-  
stimaretur. Animadvertisendum tamen  
in primis est, ne quos contumelia adficiat:

sed

sed optimos quoque amplissimis hono-  
ribus, alios vero iniuria minimè prose-  
quatur. Fortitudinem etiam iusticiæ par-  
tem esse, vel ex hoc maximè patet; quod  
lege præcipitur, locum non deferendum,  
ex acie fugiendum non esse, arma abijci  
non debere, hostes pro hostibus haben-  
dos, & his similia. Ac licet plures etiā  
virtutes iusticia contineat, cupidinibusq;  
careat: totam tamen ipsam virtutem iu-  
sticia contineri Aristoteles censuit. Inter-  
im propriū esse iusticię, unicuique, quod  
suum est, tribuere. Quum omnes leges  
ad communem hominum utilitatem  
spectare, idem etiam scripserit; ac pro-  
pter virtutem, vel aliquem alium ta-  
lem modum, ad utilitatem maximè opti-  
morum, vel principum: siccirco iusticia  
potissimum principes uti debent, eaque  
pollere; ut vitijs prorsus omnibus carere  
existimat. Sciant necesse est principes,  
tam apud Græcos, quam barbaros, adpel-  
latione regum dignos existimatos esse,  
quos Iovis discipulos & emulatores Ho-  
mericus sermo declaravit. Solus namque  
Iupiter & rex, & deorum pater nomina-  
tus est: idemq; civitatis & amicitiae præ-

b 5

fectus, & socialis, & congenius, & hospitalis, & alijs mille vocabulis, quibus potestae sunt usi. Nam propter imperium ac potestatē, rex appellatur. Pater autē, propter curam, ac mansuetudinem. Civitatis praeftus, propter leges, & communem omnium utilitatem. Cōgenius, propter eam, quae dijs est tum hominibus, societatem. Socialis, quia homines congregantur, & omnes amicos ac socios esse vult. Supplicius, quia supplicantēs exaudit. Hospitalis, quia hospitem non negligere, nec hominem alienum ducere, amicitiae initium est. Fructifer verò, quia fructuum divitiarumque, non paupertatis & inopiae dator est. Quae sanè virtutes omnes principem decent.

CLEMENTIAM LIBERALITATEM, & continentiam, principibus convenire.

**V**El in primis autem clementia liberalitasque ad principes adtinere videntur. quarum quidem virtutum una est, delinquētibus parcere: altera verò, benefacere omnibus. Quare utramque ad hominum, subditorumque maximē benevolentiam adquirendam, excitandam, impellendam, præcipuam esse videmus. Nam plurimis & maximis imperatorib.

cle

elementia non minus, quam fortitudo, profuit. Ea enim adeò hominum animi adiciuntur trahunturq;, ut quod magis principibus conveniat, excogitari nihil possit. Quem verò tam esse humanū decet, quam qui hominibus imperat? Principi mitem & humanum, non ab hominibus solum diligi; verum etiam amari necesse est. Nam si omnes sibi & amicos, & benivolos arbitratur, mitem eum, ac omnibus propitium, homines existimabunt. quippe nulla virtus est, que principes magis immortalī deo similes efficiat, quam clemētia. Hac enim Romanorū Senatus plurimū laudari meruit. Hæc Carthaginensiū legatos in admirationē cōvertit, quū tot acceptis iniurijs, venia à Romanis data, dijs immortalibus Romanos & quādos hostium legati censuerūt. Alexandro ut infinitā gloriā bellica virtus peperit, ita incredibilē amorē clementia liberalitasq; comparavit: qua siebat, ut milites sub ipso duce incūdīus atq; lumbentius militarent; quādo ipsi etiā gregariorum militū incolumitas proprio fastigio carior erat. Et si aliquando deliquisse milites viderētur, nō hominē infectandū, sed crimen puniendū esse censebat. Neq;

liberalitate minus principem uti decet, quum ea præcipue subditos ac familiares ita devinciat, gratosque pariter ac fidos faciat: ut ipsis principibus nihil esse debere magis curæ existimemus. Econtra-  
rio vero, nullum tetrius vitium avaritia putandum: cuius vel suspicio principipe nitus est fugienda. Populo Romano immortalem gloriā peperit, quod Attalum regem Asia capta donavit. Nec enim gloriam se adepturum quis putet, qui rebus, quas mali adipisci cupiunt, studet: sed qui magni faciendam esse præclaram & honestam gloriam existimaverit, eamq; potius, quam ingentes divitias, filijs relinquēdas, illum laudibus extollendum esse censemus. Quippe fluxæ mortale fque divitiae sunt, gloria autem solida & immortalis habetur. Nam divitiae gloria parari possunt, pecunijs autem gloria non paratur. Quamobrem gloriæ in primis animum princeps intendat, quum grave ac indignum putari debeat, si privatos glorię cupidos & honorum; principes vero degeneres esse intelligamus. Flaminium consulem maximis Senatus laudibus prosequutus est, quod omnes Græciæ urbes,

quæ

quæ sub Philippi Macedonis ditione fuerant, liberas & immunes esse iusserat. Philippo Mariæ Mediolanensium duci, paucis ante nostram memoriam annis, multum gloriæ liberalitas conciliavit: qui quum Alfonlus rex cum multis proceribus Neapolitani regni principibus, à subditis Philippo Liguribus piratis caperetur; non solum regem libertate donavit, sed cum muneribus in regnū remissum, amicissimum sibi foedere confirmavit. Quamvis semper, & in omnes uti liberalitate non placet: quum si adsueti postea non acceperint, quādo manum retrahere necessitas coget, tamquā si iniuria sint adfecti, animum omnino mutādum existiment. Cyrus, qui liberalitate, propter inopiam, uti non poterat: benivolētiam suorum humanitate adsequebatur. Laborum namque socium suis se offerēs, dum liberalitate nō poterat, adiutor in faciūdis operibus erat. At vero si cōtrā faciundum princeps censuerit, alienique fuerit adpetens: & rapacem existimari necesse erit, & tyranni nomen facile acquiret, ab humanitateque seiungi omnino putabitur. Optimi itaque principis erit, huma-

nitate, prudentia, liberalitate, & continētia uti. Non enim minus Scipionis continentia; quā in gerendis bellis fortitudo laudatur. Nā seipsum cōtinentia vicit, fortitudine verò bis vel ter hostē superavit:

**A N I M O R V M P E R T V R B A T I O-**  
*nes quam maxime cohibendas esse.*

**C**ohibēdos esse ab adfectib. principū animos, omnino putamus. Siquidē animi cōmotiones, quę ad agendum nos impellunt, si ferventiores sint; ad iniqua flagitiosaq; nos rapiant necesse est. Si vero languidae, remissae, etiā actiones languēbunt. Quare mediocritas ea tenenda est, ut adfectus ipsi tēperentur, modusque & mensura in agendis rebus adhibeatur. Nā superbia efferri, insolescere, sui ipsius principem obliuisci; non prudētis est. Quippe qui se hominē esse recordabitur, nunquā superbia efferetur, numquā insolescet, humanisq; rebus deū praeſeſe semper existimabit. Non amicitia, iraq;, nō odio ab officio discedet: atq; ita omnia moderabitur, ut ante oculos se deum optimū maximum habere ultorē existimet. Quamobrem sicut ad humanitatē pronū, ita etiā superbiæ immanitatisq; inimicū principem

pem esse decet. Humanī siquidē generis inimica crudelitas est, nec quidquam hac feris convenientius invenitur. Hannibale legimus Romanorū corporibus pro pōte in Gelo flumine usum esse. Inde exercitū traduxisse. Eundemq; captivos Romanos itinere fessos, pedū parte succisa, semianimes in itinere reliquisse. Quod quidē vi-  
tiū quā à principibus alienū esse debeat, facile iudicari potest: quum his maximè duobus, crudelitate videlicet avariciaq; si notati principes sint; eos vel in primis fugiendos esse putemus, quod uno p̄fertim ledi, altero malefici principes effici videātur. Hinc etenim proscriptiones, hinc exilia, cedesque, hinc alieni adpetitio, hinc deripiēdarū urbiū cupido, hinc subditoruū expilatio, sepiusq; in dominos hinc cōiuratio, hinc seditiones eveniūt. Nō enim magis est cōtra naturā morbus, aut egestas, aut eiusmodi alia; quā detracō, vel adpetitio alieni. Quare ita principi avaricia fugienda est, tantumq; infamiæ atq; odij ex ea se adquirere principes sciant: quantum laudis, immortalitatis, benivolentiæ ex liberalitate ipsos adsequunturos diximus. Igitur qui alijs præſet, ab ad-

fectibus vacuus esse debet. Ira namque rectum quod sit, cernere minimè patitur: odium, ad iniqua impellit. Illud magni Alexandri exemplo nunc venit, qui usque adeò in Callisthenem philosophū iratus fuisse fertur; ut perturbata eius animi yī solitaque clementia, eum abscissis auribus, & naribus, labijsque, deforme ac miserandum spectaculum omnibus redididerit: atque in cavea cū cane clausum, ad ceterorum metum, circumferri voluerit. Lysimachus hominem audire solitus, miseratus tanti viri cruciatum, venenum ei ad remedium calamitatis dedit. quod quidem ægrè ferens Alexander, Lysimachum ferocissimo leoni obijci iussit: in quem conspectum leone impetu faciente, Lysimachus manu amictulo involuta, in os leonis immissa, & arrepta lingua, feram exanimavit. Quamobrem ut meritā fortitudinis laudem Lysimacho, ita etiā Alexandro immanitatis ex hoc facto famam tribuendam esse putamus. Adfectibus ergo sic carere principes debent, ut à recto numquam discedere existimentur. Sed in primis quod æquum & bonum, semper sequendum esse putamus: quod quidem

quidem Aristotelī præstabilius iusto videtur. Et si non simpliciter iusto, et tamen, quod peccare solet. Nam quum, ut idem ait, lex universaliter loquatur, aliciquid à legislatore omitti potuit, ut absolute peccasse videretur. Quare boni erit & æqui, ex ea parte legem emendare, qua ob universale fortasse defecerit: quā impossibile sit, in omnibus legem poneare. Pessimum tamē erit, ut quibusdam in locis fieri solet, si pecuniariū, aliarumve rerum cupiditate, vel adfectu aliquo, interpretatione legunt, quipiani uti vellet: sicut in murorum edificatione Lesbj utebantur. Norma enim plumbea ad lapidis figuram mutabatur. Quamobrem semper memoria tenere princeps debet, ne si bonus & æquus reputari voluerit, exactè iustum in deteriore partem exequatur. At si fortassis aliqua ex causa imminuēdum putaverit, maxima dignū laude censemus.

SENIORIS SAEPISSIME  
frequentandos.

**Q**uoniam autem prima sors ingenij non pluribus à natura tributa est,

ut ipsi consultant, quid è re sit: adolescentes atque iuvenes à senum latere discedere non debent, ac donec imperare didicerint, bene monentibus oboediant: quā praeципiè adolescentibus insit, ut Ciceronis utar verbis, maxima imbecillitas consilij, quippe sine terum experientia ijs, quæ eveniunt, consulere haurēquaquam possunt: quam quidem nisi temporis lōgitudine, minimè homines adsequuntur. Quare sapiētes primum colere principes debent, illorumque dictis aures libēter adhibere: ne proprijs fidentes ingenijs, à regula gubernandi ratione discedant. Nam si cum sapientibus adolescentes adsiduè versatus fuerit, optima pro administrandis rebus fundamēta, ad sapientiā adsequendam, se iecisse existimet. Ab ijs enim omnem disciplinam, omnemq; sapientiam, tamquam è fontibus haurient: commendandi que adolescentes erunt, si modesti, in parentes maximè pietate utantur, in suosque benivolentia. Facilius enim, ut ait Cicero, in optimam partē cognoscunt adolescentes, quum se ad claros & sapientes viros cōferunt. Siquidem opinionem adferent populo, eorum fore se similes,

les, quos sibi ipsis ad imitandū delegerūt. Sapientibus autem viris nō de convivijs, hisi quum liberalitate utendū fuerit, nec deijs, quæ principi notam aliquā inurette poslunt, oratio habenda erit: sed quid honestū, quid turpe; quid æquum, quid vē iniquum; quid deniq; principe dignū sit, cōstantissimè cōsulendū. Nihil est enim, ut idē ait Cicero, quod tam deceat, quām in omni re gerenda, consilioq; capiendo servare constātiā. Quippe si mutat majorū imagines ad virtutē principes incitant, quāto magis dicta sapientū eos cōmovebunt? Et quanvis sententia vetus sit, alienā semper virtutē principib. formā dolosā esse, tamē quū ad ipsius principis décorē utilitatemq; convertitur, plurimi ab ipsis fieri debet. Quocirca sapientū consilia nō iuvenibus solū, verū etiā senib. sequēda principibus sunt; tū quia multū ad rerū administrandarū curā faciunt, tū etiā quia si fortè nō aliquid laude dignū principes egerint, aliorū quandoq; culpa cōsultantiū, nō principis, id factū esse, homines existimabūt. Interim ijs, q; sapiētes esse videbūt, facultas prestāda est à principio; ut de reb. intrepidè, de quib. ambigi-

quādoq; solet, sententiā proferre possint.  
**F I D E M O M N I B U S S E M P E R**  
*esse servandam.*

**M**inistris principem deceat, ut quod sibi à subditis præstari cupit, idē & ipse subditis præstandum censeat. Sicut enim iuriurando populi adiunguntur ad fidem principibus servandum, ne quid iniurium, neve quid damnosum contra principes moliantur: sic etiam ne quid iniusti, nec indecori vicissim in eos ipsi principes faciant, studendum est. Ab antiquis enim legibus definitur, fidem dictorum esse, conventorumque cōstantiam. Igīrū non minus principi præstationem fidei, quam subditis convenire dicemus. Nam ut semel in verba principis subditii iurantes, perpetua fide principem colere coguntur: ita quū diebus singulis evangeliorum liber deosculandus principi of fertur, iurisurandi exemplum quoddam venit, veritatem colendam, fidemque datum à principe esse servandam. Quapropter omnia, quae promittit princeps, ita servanda sunt; ut subditorum animi omnino ad anorem adisci possint. Nam si cut in principe nihil turpius conspicitur,

quam

quam à fide veritateq; alienum fesse; (mēdacijs namque cōsuetudine fiet, ut quum aliquid suis persuadēdum putaverit, semper decipi se ab ipso subditi existimat) ita etiam, si à principe promissa servetur, subditorum animos ad omnia, quae ferri possunt, ferenda princeps incitabit. Meritorum quippe præmium procul dubio à subditis expectatur, si principes ea, quae dixerint, servare cōsueverint. Immò quavis in re, omniq; tempore, sic veritati princeps studere debet: ut magis ipsius verbis, quam aliorum iuriurando fides adhibeat. Eritq; benivolentia & amoris principium, si benefica saltem voluntate subditi, quamvis effectus resque nō semper suppetant, capiantur. Vehementer enim amor multitudinis commovetur, etiam ipsa opinione liberalitatis, beneficentiae, fidei, omniumque earum virtutum, quae ad mansuetudinem pertinet, ac modum facilitatem, subiiciunt enim sese homines alterius imperio, aut benivolētia, aut beneficiorum magnitudine, ut ait Cicerō, aut dignitatis præstantia, aut spe ligationis, aut postremo mercede conduci. Fide igitur ea opus est, à qua supicio

fraudis omnino absit. Quo fiet, ut fidis hominibus fortunas, liberos, salutem deniq; cōmittere prudentes soleant. Utque fides melius adhiberi cuiquam possit, tollendum est in contrahendis rebus omnime mendacium; ne ullo pacto principū promissa labefactari videātur: præcipiè quā ratio postulet, ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid fallaciter à principibus promittatur. Nam simulatū, quodcumq; sit, minimè diuturnum esse potest. Quare princeps simplicitatem ac veritatem, regium quoddam ornamentum putet, fraudem vero, rem servilem esse: quā maximè feras eas fallaces ac fraudulētas esse videamus, q; timidissimè atq; ignavissimè sunt. Neque enim confidendum est, promissa, licet etiā secretiora fuerint, occulatari alijs posse: quum si omnibus ignota sint, promittentis saltē animo conscientiaq; manifesta esse necesse sit. Quare hostibus etiam fidem servandam esse diceimus, ut M. Atrilij Reguli magnitudo animi fortitudoq; testatur: qui quum ab Hannibale iuratus Romanam mitteretur, ut nisi nobiles Pœnij, qui Romæ captivi deincebantur, liberi Carthaginem mitteretur.

tur, ad supplicium rediret; nec patrię charitate, suorumque omnium, nec liberorū uxorisve lacrumis retineri potuit, quin consulari dignitate, hominisque Romani fide servata, nihil extimescens & intrepidus Carthaginem ad supplicium feredum reverteretur. Ad hostem crudelissimum potius proficiisci, quam in patria perjurus violata fide remanere voluit. Nullum enim vinculū ad adstringēdam fidē, ut Cicero scripsit, iurciurando antiquius esse maiores voluerunt. Nam quid esset inter homines sanctum, si iuriandum, si divinitas quoquo modo despēta esse videretur? Quare studendū omnino est, ne facile iuretur: quum quietemere iurant, eosdem etiam crebrō peccare necesse sit.

D A N D A M E S S E O P E R A M, V T  
à subditis populis ac familiaribus principes amentur.

P Lurimum ad animos subditorū conciliando, facilitas adeundi principē facit: quum nihil sit, quod magis hominū animos adliciat, quā comitas: contra vero nihil, quod odiū tātopē in principē concitet, quā alperitas. Et licet natura ad

libertatem natos homines perspiciamus, ea tamen arte principes uti debent, ab ipsisque omnia, quæ ex quo animo ferenda sunt, eo modo toleranda: ut licet inter dominū & servū nulla intercedere amicitia natura possit, comitatē tamen subigi homines aperte videantur. Quamvis Aristoteli placeat, similitudinem quamdam esse amicitiā, æqualitatemque; quæ inter subditos principesque ne considerari quidem potest. Si vero non inhumani principes sunt, eos plurimum à subditis amari necesse erit. Nam nihil est, quod magis principum benivolentiæ securitatiq[ue] conducat; quam humanitas. Quæ ex re tantum iudicis benivolentiæ amorisque principes adsequentur, ut servitutis onera subditi æquius patientijsque ferant: si præsertim secundis subditorum rebus lætari, dolere plurimum adversis principem iudicabunt; si eorum ægritudine angi, si honore delectari: si denique omnia, quæ ipsis evenerint, propria esse princeps existimabit vetus enim sententia est, ut si quis ab alijs cupiat amari; is & alios amare studeat. Nec id quidem simulatè fieri debet, sed servitijs ita gratitudi-

tudine respondendum est; ut neque laborum, neque periculorum, subditos ullo modo poenitere possit.

Duo esse pulchritudinis genera, & unum quidem in venustate, alterum verò in dignitate consistere, Ciceroni placet. Quare illud mulieribus, hoc autem viris, principibus maximè cōvenit. Igitur de hoc genere dicendum est, quod non natura solum, verum etiam arte disciplinaque adquiri potest. Nam ad pulchritudinis dignitatem, incessus, motus, gestus, placidus sermo, vestimentorum ornatus, & similia huiusmodi convenient: quibus omnibus decorum principis maiestasve tam admirationem, quam reprehensionem hominum mereri solet. Quippe si tardiore utantur ingressu principes, nimiae festinatione celeritateque: aut similes erunt pomparum ferculis, ut Cicerio ait, aut anhelitus movebuntur, vultusque mutabuntur. Ex quibus magna significatio & iudiciū fiet, non adesse constan-

## 42 DE EDUCATIONE

tiam. Sit ergo incessus non mollis, nec concitatus; sed mediocritatem principē dignam teneat, ut pro tempore gravitas ab omnibus deprehendi possit. Sit totius corporis motus non levis, non rusticus, petulansque, non palæstrius. Sit gestus sermoni conveniens, aptus, simplex. Sit sermo iucundus, qui & plurimum gravitatis, lenocinij, audaciæ, simplicitatis, plurimumque salis & fellis habeat: ita ut repugnantes quandoque ducat & impellat. Vestitus atq; corporis ornatus, à mulierum usu & consuetudine alienus omnino sit: quum ab omnibus, quibus principis animus effeminari videtur, cavere princeps debeat. Denique pro loco, pro etate, pro tempore, pro causis ita vestibus utendum: ut nec excessu, nec defectu principes reprehendi possint. Quamobrem si natura id solūm fieri nequeat, doctrinā tamen & arte principes id adsequi studeant: quo facile laudem non mediocrem adsequentur.

LIBRI DE PRINC. EDUCAT.  
FINIS.

A D

## 43

## AD ILLVSTREM

HADRIENSIVM DVCEM, FRATREM  
*suum, BELISARIVS Dux Neritonorum.*

## DE VENATIONE.

**Q**uartienti mihi inter litterarum os-  
tia, frater illustris, quid à nobis scri-  
bendum esset, ne tempori aliquo  
modo deficere videremur, quum præser-  
tim de principum educatione, de re gu-  
bernanda familiari, paulò ante scripser-  
imus: Oppiani poetæ Græcum opus in  
Iapygiæ finibus nuper inventum pre mani-  
bus occurrit, cuius quidem fragmen-  
ta sententiæque non parum voluptatis  
tribuere littcrarum studiosis poterunt.  
Etenim in tali scribendi genere versatur,  
quum de venatione scribat; ut qui mil-  
itia vacaverint, principum maximè li-  
beri, illique præsertim, qui se desidiæ  
non dedidcrint, poetæ huius ingenium  
admirari omnino queant. nam in nive,  
in montibus quandoque venatores per-  
noctant, sequeuri sapient patiuntur.  
quo fieri solet, ut consuetudinis vi,  
qua magna est, laborum tolerantissimi  
efficiantur. Mars namque, quod ille ait,

duro milite gaudet. In maximis autem nostrorum temporum perturbationibus nihil est, quo magis delectari homines possint, quam si litterarum studijs vacandum esse cœsuerint. Siquidem Græci sunt codices, & Latini, in quibus tanta est auctorum copia, tantus scriptorum numerus: ut de unaquaque re scripsisse videantur. Etenim alij regum, populorum, ac exercituum prælia scripserunt: alij de rerum natura: alij mores hominum, & quæ ad bene vivendi institutionem adtinent: alij stellarum vim, ac orbium cœliq; motum: alij denique de venandi modo litteris mandavere. Quo fit, ut qui litterarum ignari nō omnino sunt, de his rebus, quarum studiosi præterito fuere tempore, aliorum imitatione reddere rationē possint. Quum itaq; maiores nostri de Græcis multa excerpserint, quæ Latinis nostris plurimum utilitatis adtulerunt: ego, quoniam à Græcis litteris ita parum instructus sum, ut vix prima forsitan litterarum rudimenta ipsius linguae cognoverim; vicem meam non dolere non possum. Qua re factum est, ut incredibilem laborem susceperim; quod vocabula quibusdam

busdam in locis convertere sim coactus. Siquidē pro inveniēdis componendisq; vocabulis, latinos plurimos libros, Pliniū maximè, Tullium, Columellam, Varonem, aliosque complures evoluere necesse fuit: quorum libros vel semel accuratè legisse, laboriosum fuerit. Occuristi tu mihi, utriusque linguae peritissimus; ut ea, quæ melius, latinius, ornatius, magis propriè vel excogitari, vel pferri possint; corrigas, emendas, castiges. Tu mihi sis iudex, tu censor ab omnibus habearis. Omitto ea, quæ de animalium natura Oppianus poeticè scripsit, quum & Gaza nos Theodorus, præceptoris mei familiaris, in Aristotelis interpretatione copiosius scripserit, Pliniusque tuus: & ea tantum scribere adgredior, quæ ad venationem pertinent: tum quia delectatur animus meminisse, quę tempore pacis, adolescentes quum essem, peracta à me sunt: tum etiam, ut onus, si quod erit, reliquū Oppianiani opus singillatim interpretandi, tibi, Dux optime, impertiar. Operis quidem pars hæc, quæ (ut diximus) de venatione est, si elegantius à ceteris ornatiusque forsitan absolvetur: fieri tamen

non poterit, quin curiosius à nobis, diligentiusque perquisita. Quia ex re poterunt ceteri nobis habere gratiam, quamvis latinius rem perfecerint; quod laboris plurimum eis opera nostra studioque subtractum esse videatur. Quum itaque post militarem disciplinam, armorumque usum, post litterarum exercitium, rerumve publicarum administrationem, nihil venatione iucundius, nihil delectabilius inventari possit: de venādi voluptate scribā, qua homines adlici adeo solēt, ut multi alia maiora reliquerint. Quippe dulci adliciūtur sopore, qui veris tempore supra flores dormiunt. Qualis est æstu fervente humi dormitio? Quis aquæ potus frigidæ calore fessis venatoribus? Quid flavos si decerpserint vere flores, gaudij venantes percipiunt? venator certè euris exsolvit omnibus. In primis attem scribēdum nobis, Perseū, Iovis aurei filium, vénatū ciborum causa primū invēnisse. Nam leporum, caprearū, ac dama- rum velociū vénatū repperisse traditur. Castor deinde, Iovis filius, cursu equorū longo feras infestat, iaculisq; ferire pri- mus docuit. Pollux item Lacedæmoniis,

Iovis

Jovis & ipse filius, canum ferociam adver- sus feras, & velocitatem est expertus. Hippolytus postea ad capiēdas feras retibus & laqueis usus est: ut ubi vires non sup- petissent, eas arte ingenioque vinci posse ostenderet. Demum Atalantam legimus apros iaculis ferire solitam, feris etiā ce- teris cædē p̄rare docuisse. Omnitum au- tem primus Orion insidias in venando struendas cōsuluit. Sunt & alia apud Op- pianū permulta, quæ quidē poeticè quū scripta sint, reliquēda putamus: ipsiusq; tantūm de venatiū sententias amplecten- das. Triplex venationis reperitur modus, hominibus à natura tributus: quorum u- nus terrestris, aërius alter, maritimus ve- rō tertius nuncupatur. Nec enim mirum alicui videri debet, si quartum adsequiū homines minimè potuerint: quū à quar- to elemento remotissimi simus, ut nihil cum igne nobis commune sit. quando- quidem omnia ignem consumere perspi- cimus, ac ita quiderim, ut in superiorē aëris religionem quæcumque advola- rint, concremetur. Quamobrem triplicē tantūm venationem, ad trium inferio- rum elementorum rationem natura

constituit. Sicut enim elementa inter se contraria sunt, differuntque inter se: ita & ferarum ac terrestrium animantium venatio, & aucupium, & piscium marinorum capture, dissimiles sunt. Quantu[m] enim pescatores ab aucupibus, quantum ferarum venatus a venatu avium distet, differatque iudicari facile potest. Nam milvis cornices, anseres, grues, ceteraque aquatiles aves; coturnices, perdices, aliae que aviculae accipitribus capiuntur. Tigrim vero, capreas, cervos, apros, leones, ferasque ceteras, equites insequantur. Quid itaque cum venationibus ijs commune habet pescatio, nisi quod animi quodam oblectamento hominis natura gaudet, honestoque otio delectatur: ut scilicet super scopulos sedens pescator, hamisque piscium ora transfigens, laetus efficiatur, qui arte vicerit & ingenio, quod querere satagebat: quum maxima est maris profunditate saepius saltantem pescem curvatis calamis hamoque adduxerit, abstraxeritque. Et quavis pescationis hoc genus defidis sit hominis, laborumve intoleratis simi, quum non corporis vires, sed ingenium tantummodo aliqua ex parte exercetur:

ceatur: sunt tamen & alia pescationis genera, quibus & delectatur animus, & vires corporis aliquando excentur. veluti quia aut pescatorijs cimibis, fusciniisque, aut retibus, vel nassis, & agiles fieri homines solent, & nimborum procellas, valtique maris tempestatem experuntur. At vero quum meminerim mirum quiddam, Tarenti quiuni esseimus, vidisse: illud referam. Piscis quidam, quem *κέφαλον* vocant, eiusdem generis feminam, rostro ligatam, & a pescatoribus filo viuenti per undas insequebatur, atque ita ardenter; ut licet tridenti, multis a pescatore vulneribus acceptis, feriretur: feminam tamen insequii numquam defliterit, quo ad tridenti sauciatus, & captus, in cimbam a pescatore mortuus deiaceatur. Tanta amoris est vis, tantum in venere dulcedinis repperitur. Etenim a grestem demoniem vocat Cupidinē Opianus, quum ignitas emittere sagittas soleat; quum omnia, quae Solis lucescunt radijs, a Cupidine vincantur. Sed quoniam a quibusdam audivimus, hanc operis partem, quae ad pescationem pertinet, è Græca ab alijs in Latinam linguā

conversam inveniri:ne in eodem labore cum alijs videamur, quod nobilioris est animi, magisque ad militiam prouidi, de reliquis duabus venationum partibus scribere proposui, & ne per harenas solū molles incedere videamur, quam ad terrestrem venationem, quā aëriā adtineant, Latinis litteris exarare.

D E A N I M A L I V M Q V O R V M .  
dam sollertia. tum qualis esse venator debeat.

**D**ata est autem animalibus sollertia quædam, ut non à magnis solū, verū etiam à parvis, & minimis quidē, singulorū species conservetur. Nam, ut Cicero ait, alia quasi rete texūt, ut si quid inhaerent, cōficiant. alia magistra rerum natura, ut marinæ ranæ, sese harena obruere, ac prope aquas moveri solent; ad quas quū pisces accesserint, quasi ad escā, confici à ranis dicuntur, atque consumi. Accedit etiā ad animantiū conservatiōnem, ut quædā ad pariendū cubilia, quædā vero nidos cōstruant, & quā possunt mollissimè substernant; ut ova servētur, & pulli, quū ex eis excutissi sunt, pēnis foti frigore non lēdantur. Ad hominis vero voluptateni, utilitatē, vitæq; oblectamē-

tum,

tūm, etiā educari animalia videmus: ut delectabilius & corpora hominū exercitari, & pasci animus, & acui ingeniu posse sit. Quare naturæ plurimū gratulari debemus, gratiaq; est habēridā: cernamus quāvis suis se armis animalia quæque defendere, cornib. tauros, apros dētibus, mortu leones, fluga cervos capreasq;. Mirū est, quanta currendi velocitate lepus, animal quidē tā parvū, uti soleat: ut non facile cognosci possit aliquādo, cursu ne potius, an volatu, an occultatione se tueatur. Quibus ex causis nō solū ingenio animaliūq; viribus, sed corporis etiā valere venatorē decet: ut labores perferat, ut vigilias patiatur, ut deniq; ad omnia, quae venationū usui necessaria sunt, aptissimū iudicetur; ut ea corporis agilitate p̄stet, qua & equis & pedes possit, q; venationi conducunt, perficere. At verò si dormiēdi comedendiq; satietate pinguior quis efficiatur, ad animalia capienda vincendaq; nequaquam aptus dici poterit: quum & currere sāpius venatorem, & fossas pertransire oporteat, quas pedestri saltu equitem transvolare necesarium est. Memini inter vénandū

adolescentem quemdam dimisso equo, ut aprū feriret, apri spumantis latus lancea transfigentem, pedestriqué (ut ita dicam) certamine victoriam ex apro adsequitum. Quid plura? Quām velocissimē equos etiam currere oportet, quum accipitres, falcones, ut vulgo nuncupantur, milvos, vel alterius generis aves, ut agrones sunt, (gruum enim est genus) per aera persequuntur. Quare necesse est venatorem laxis equi currentis habenis, fixis accipitrē oculis intueri: ne si corporis obesitate laborās venator tardius incesserit, avis ipsius segnitie desperdatur; quo fieret, ut magna dignus ille infamia reputaretur. E cōtrario res habet, si macilens fuerit nimium, adeoque destitutus venator viribus, ut ipsis parū confidere possit: quum non fugientem tantūm persequi, sed pugnantem etiam feram, quod sēpē numero contingit, vincere ac superare necesse sit. Temperatū igitur esse venatorem decet, ut animo ingenioque & agilitas corporis responderet, & vires ad necessitatē possint. Terrestrialium etenim animantium alia pervicacia sunt, (ut Aristotel. ait) ac bruta,

ta, veluti silvestres fues: alia timida, ut cervi, lepores, cuniculi: alia magni animi, fortia; ut leones: alia ferocia, insidiosa; ut lupi: alia astuta, callida; ut vulpes: alia omnivora sunt, ut ursi. Non prætermitto apros, quos, ut experimento comprobatur, non solum natura sic obdurata pelle pilisque hirsutis vestivit: verū etiam ut duriores ad resistendum telis efficiantur, luto se confricando linunt, & quodammodo loricant, ne telis facilis lādi possint. Qua è re evenit aliquādo, ut nisi letali vulnerētur vulnere, venatorem aper conculcet, si eum ferire nequiverit. At si femina fuerit, quum dētibus careat, qui ad feriendum apri dati sunt, prostratum venatorem conculcatumque lacerat. Leonum generositas, quamvis ab hac regione leones absint, attamen ne silentio prætermissa sit; parcissimē quod apud Aristotelem de ea legimus, à nobis heic describetur. Nec fugit, nec metuit leo; sed si venatiū multitudini cedere cogitur, sensim pedatim discedit, crebrò subsistens, atque respesans. Nactus autem opaca, veloci quam maximē potest fuga se subtrahit; donec

in apertum deyeniat. tum rursus lente incedit. Sed si quando locis nudis atque patentibus cogitur aperte fugam arripare, currit, nec salit. quum tamē infestatur; ubi iam propinquarit venator, in eum insilit: percussoremque adgnoscens ac observans invadit. hæc ille. Quamobrem concludi facile potest, nec macie confetos, nec obesitate carnis abundare venatores debere. nam altero futurū, ut facilius superentur; altero, ut ne quidem adgredi venationem possint, iudicari facile potest.

**D E C A N U M G E N E R E A C F O R .**  
*ma, ad feras indagandas.*

**Q**uoniam autem venatus huiusmodi, quos supra diximus, triplici canum genere adsequi præcipue homines possunt; de his dicamus. Vnum quidē eorum est, quod ad indagandas, propalandas, inveniendasque huiusmodi feras aptum est. aliud verò, qui quā velocissimo possunt cursu fugaces feras capiunt. Tertiū id, quod animantium omnium dici potest ferocissimum. Nam in cuiusvis etiā magnitudinis feram insilit. Legimus a pud Plinium, Albanię regē petenti Indiā Alexandro dono dedisse canē, cui Alex-

dij

dri iussu damæ, ursi, apri que immisſi fuerint. quorum contemtu canis iacuit immobilis, eiusq; segnitie corporis offensus Alexander, eū interimi iussit. quod quū regi nuntiatū eset, alterū etiā misit, addiditq; in mandatis, ne parvis in feris Alexander ferociam canis experiretur. Alexander hūc in leonē immisit. quem ubi discerptū protinus vidisset, elephantum quoq; iussit introduci. cuius in cervicē adfultas, artifici dimicatione belluā adfuit: ut deniq; tellure concussa, prona corrueret. Primū itaq; de primo canū generescribendū est, quū deinde reliquę canū species singillatim describi possint. Igitur unius, an varij coloris indagatores sint canes, parū referre videtur; nec si statutę parvę maximę fuerint: quū ad indagandas solū feras, ut diximus, inveniendasq; apti sint requirendi. Scrutantur enim sollertia quadā ac sagacitate tantū ferarū vestigia, & persequuntur: ut cauda primā, deinde rostro, dū inquisitor cōco mitatur venator, ferā demonstrēt. Nā vidi mus quādoq; canes odorē captātes, fecrārū cubilia p̄didisse rostro. quare satis erit, si deiectis ac propendentib. auribus, retortis sursū narib. odoratu acutissimo

d 4

fuerint : ut ne quid aliud,quām venatū latratu indicent quo quidem atroci maximoque,qua incedat feræ per nemora, virgultaque,ac vepres, cognosci à venatibus possit.atq; ita certi ferarū indagatores sint,ut non ventorum strepitu, aliarumve rerum,ad latratū invitentur: ne falsa sū pīcione venatores concident, esseque debent ita venatorum voci parentes oboedientesq;; ut nec longissimè progreedi,nec ad venatorum tantūm pedes consistere videantur. Id enim non natura tantūm, verūm etiam arte disciplinaque fit, ut canes ad oboediendum faciles efficiantur. Albi tamē coloris indagatores si fuerint, laudabiliores putamus:quum à ferarum generibus longè dissimiliores sint. Memini Ferdinādum Siciliæ regem,pacis tempore plurimum venationibus deditum , quum instrūti & accincti aliquando ad venatum esse mus,dicere;nigripilos indagatores sole re venatores decipere , səpius aprum esse credentes,quum in nemoris exitu canis nigripilus apri similitudinem præferat. Sic etiam,si rufi,vel rubri coloris essent canes,səpius deceptos propterea

vena-

venatores,qui capream, vel aliud huiusmodi animal esse crederent. Qua ex re non poterunt venatores decipi, si albi sint canes . Visus etenim sensus plures nobis differentias rerum demonstrat, ut Aristoteli placet. Vnde sequitur, reli quis animi partibus,quæ sensus participes sunt,visum perfectiorem esse.Sed de his satis , quæ hoc loco tractanda non veniunt.

D E S P E C I E A C F O R M A C A-  
num,ad feras captandas.

Dicendum itaque de alio canum genere, qui ad magna robustaque animalia,ut apri sunt,& huiusmodi, sustinenda apti perhibentur , quousq; canes fortiores & graviores advenerint; qui a prum sstant,ipsumq; aliquando in cursu mordendo impedian. quorum quidem duo sunt genera. unum enim strigosiorum est,qui si perniciores fuerint, etiam velocissima sectari poterunt animalia. Talis productior & longior esse debet, capite colloque oblongo,pectore acuto , costis inferius longis,ad ima que paullum trahentibus.præcordijs & late-

ribus ita amplis, ut sine labore spiritus adtrahi à canibus possit. Spiritus enim eventatio, quātò facilius in canibus fiet, tantò ad cursum velociores sunt existimandi. Angustis compressisque sint ilij, ventre admodū exili, ne crassitate viscerum ad cursum impedianter. Altis crutibus, sed brachijs non adeo, ut ad leporē capiendum impedimento esse possint. Anterioribus pedibus ad felis similitudinem in rotunditatē potius, quam longitudinem tendentibus ita, ut serrati pedum dīgiti currendo impleri luto nequeant: posterioribus autem oblongis, adeoque ut aptiores ad corporis impulsionem, ad cursumque velociores iudicari possint. Alterum verò medium genus est. siquidem canes illi cum levioribus, strigosioribus, velocissimis, cervos eodem modo substernunt: quuin strigosiorum vim mortuumq; cervi parvifacere videantur. qui quidem omnium generum canes, si pedes venator fuerit, si sinistra manu ducenti sunt; dextra verò, si eques: modo lancea careat, quū & adversus feras & homines commodius dextra manu pugna committatur.

D E

**E**st & aliud canum genus tertium, qui quamvis graviores sint, nec adeo ad velocitatem apti: eorum tamen aliqui mastini vulgo nuncupantur, quos in Dalmatia puto plures inveniri. Nasci enim solent, ut mihi relatū est, in ea parte, quam Illyrij incolunt, atque etiam Liburni. puto & in Albania aliquos inveniri, ut ex Plinio percipi potest. In Corsica autem plures eius sunt generis, qui feroces in primis sunt, atq; ita, ut ad quęcumque ferarū genera invadēda capiendaq; audaciōres reputentur. quamobrem eligendi sunt illi, qui atroci vultu, cēfvice capiteque maximo sunt, labro superiori super inferius dependente, rubicundis oculis, apertis naribus oreq; ut flammā hiatu evomere videātur; acutis, quos habent, dentibus, tumenti collo, amploq; pectore; ita ut leonis similitudinem preleferant. magnis pedibus, discretisq; dīgitis, duris & curvis unguibus, ut solo inhērere magis possint, quo potissimē feram prosternant concilcentque. His canum generibus feras omnes superare facilis cursu, & capere venatores poterunt.

Q V O M O D O E T Q V I B V S T E M-  
poribus fit venandum.

**T**errestrium animalium ad venatum  
duo sunt genera. pugnantium qui-  
dem unum est, alterum verò fugacium  
minorumque. Istud canum odoratu in-  
dustriaque præcipue, ordinatave homi-  
num serie invenitur: illud maiorum ani-  
malium est, quorum pugnacitatem in  
venatu saepius experimur. que licet canis  
indagatorum opera, tamē & hominum  
arte, sedes ipsorum stationesque perqui-  
rendo, quam maximè inveniuntur. At qui  
venatorum huiusmodi is ordo, ea nece-  
fitas, ac denique natura esse debet, ad fe-  
rarum vestigia insectanda: ut antelucan-  
is horis ad nemora accedant, saltusq;  
perlustrant: & qua feras pertransisse con-  
tigerit, sollertiaissimè explorent; quo fera-  
rum mansiones certius sciri posint: ad-  
ducanturq; à reliquis, atq; impellantur,  
ut à venatoribus capi valeant. Erit tamē  
illis animadvertendum, qui ferarum se-  
des explorare voluerint; ut ijs vestimen-  
torum generibus, tamque mollibus cal-  
ciamētis utantur, ut si ad venatum pro-  
pius accedere contingat, feras ipsas ve-  
stimenten-

stimentorum strepitus ad fugam non  
inducat: maximè si flante vento vesti-  
mentorum sonitum senserint. aut inter  
vepres ad feras si proprius sit accedendū,  
netrepidare illas contingat, fugamque  
arripere. Quamobrem & agile tempera-  
tumque corpus ad incessum, & pro ex-  
plorandis perqurendisque feris aptas  
habere vestes venatorem decet. Quo au-  
tem anni tempore, qua hora venationi  
sit incumbendum, scribamus. Siquidem  
Solis æstu fervescente ad feras insectan-  
das incedere, incōsulti venatoris esse pu-  
tamus. Illoco enim macilenti adeo effice-  
rentur canes, ut eos ne butyro quidem  
refici posse existimemus. Optimū enim  
remedium est, si ter vel quater canes  
macie confecti butyro reficiantur. Equis  
etiam calor nimius adeo nocet, ut si for-  
sitā insequendis feris longius curre-  
ndum sit; in febrem, quæ ut plurimum e-  
quis est perniciosa, incident: ne Niseis  
quidem exceptis, quamvis plus ceteris  
calorem, æstumque, ac sitim sufferant.  
Quamobrem serenus ac trāquillus dies  
venationi aptissimus est, & hiemis maxi-  
mè tempore. quippe si prorsus ventorū

turbine caruerit, ad aves ferasque capie das aptissimus esse censeatur. At si aëris tempestas aliqua repente obvenerit, totis viribus, arteque, & ingenio tam aucupibus, quam venatoribus adnitendum est; ut, si aquarum procellæ nimbi ve natores adgressi fuerint, quavis arte tum aves, tum canes tueantur, ne imbris nimbisve lædi possint. Quod si litterar um studiosi essent, facile ab eis hæc cognoscerentur. Nam ex Ptolemæo, Virgilijque Georgicorum libris, & Pontani quoque nostri, de rebus coelestibus, qui scripti sunt copiosius, que aquæ, que fri gida signa, qui planetæ calidi, urentesve, qui humidi sint, percipi posse. Sed ne pauca carmina, quæ in Vrania legimus, prætermittamus; tradentia, quemadmodum tempestates, quemadmodum venti pluviae dignosci possint; ea heic inferenda putavi. Nam de Lunæ prognosticis scribens Pontanus ait:

*Namque ubi prima novos remeando colligitignes;  
Fratri ab amplexu rediens, si nubila frontem  
Occuluit, cornu per cœlum inventa retuso:  
Prob quantunt nimbis terris, pelagoq; paratur.  
Quanti etiam se versent per inania venti.*

Et ne unico tantum lunæ signo conten-

tus

tus esse videretur, Solis etiam prognostica carminibus his adiecit.

— at pallida quando

*Aurora Oceano caput exferit, horridave inter  
Nubila diversis rumpit sol partibus, & nunc  
Obliquos effert radios, nunc pallidus ore  
Delituit nimboſo: heu rupto fœdere, cœlum  
In terras ruet, & savum per inane rotata  
Præcipitant nimborum acies.*

Quæ cognita signa si non suffecerint, re penteque tempestas advenherit: quanto fieri poterit celerius, ad tecta speluncae, vel saltem ubi fomento ignis recreari aves possint, percurratur. Hiemis autem tempore cibi sunt avidiores aves, eodem que à coëundi ardore magis sunt alienæ. nam fieri solet, ut si Maio mense milvos accipitres volando persequantur, silvestrium accipitrū amore ad dorminū non redeat: nam per aëra desperdi sæpius eos conspeximus. yetis tamē principiū satis accipitrum venationi aptū esse dicimus. toto enim diei spatio venari licet, quum nec continuis imbris, glacieve niimia, nec caloris æstu aves lædi possint. & eo maximè tempore, quo non vaporibus seges per ortū caniculae torri ci videtur; qua, ut in Vrania legimus,

*Aegyptus,totoq; calent incendia mundo.*

At verò quū florescere prata incepint, aptius iudicandum est tempus; nec superveniente calore venatores umbram petere cogentur. Qui, si venari inclinante ad æstum vere, contingat; tribus diei primis tantùm horis vénaridū esse sciāt, quamquam hoc vētis iam declinatis tēpus caribus adversum est, quum & herbarum incremento florūque, canum cursus plurimum impediri videatur; à totq; generibus herbarum olfactum infici canum necesse sit. Si verò autumni tempore venatū ire cōtingat, ac seneſcentibus herbis floribusq; simplex ferarum odor olfactui canum innotescat; id etiam aptum esse tempus dicimus. Omnium aliorum aptissimum ad venandum potius hiemem esse iudicamus, dū in luto etiam ferarum adspici vestigia solent, in niveq; inprimis. Quo fit, ut ipsarum sedes à venatoribus perquisitæ, sagacius inveniantur: maximè, quum post nivosum diem, serenus venatoribus offertur.

*QVOMODO CANES SINT  
alendi, & qui color in canibus melior es-  
se censeatur.*

**A**Nimadvertisendum etiam venatori- bus est, si velociores effici canes ve- lint, ut non miscendos, qui nō eiūdent sint velocitatis, purēt; & ut verè coēant. eo enim anni tempore cuncta videntur animalia in venerent proniōra. alioqui deformes, nec ad currendum aptos, for- tesve nasci cēsemus. Velocitatem enim, formamq; pārētum, quod illis similes nasci necessarium sit, sequentur. Itaque qui nec albi, nec nigri sint, quod hi fri- gus caloremve ferre non facilē possint, nec magni animi esse soleant, elegantur: illique præfertim, qui vulpium colore, luporumve, aut tigridū pilis vestiti fue- rint; & quammaxime triticei cereive co- loris. Cavendum tamen est, ne domesti- co animalium lacte catuli nutriātur, aut ovino: quum si vel lupæ, vel cervæ, aut (si fieri posset) leæne lacte nutritur, aptio- res ad periequendū feras futuros cen- seamus. Velociores enim, & animosiores illos canes fore, certum est. Canum etiam nomina ut bisyllaba sint, studen-

dum est: ad sue faciendi q; sunt, ut tametsi  
feris asperi adversique sint, hominibus  
tamen lenes ac mites esse consuecant:  
ne latrare si ceperint, venationis silen-  
tium, quod lege quadam indic*i* solet, in-  
terrumptatur. Horum tamen quanta in  
homine sit fides, quanta reverentia, faci-  
lē auctore Plinio cognosci potest. Soli  
namque pro dominis pugnantes, dome-  
sticam vocem adgnoscunt: solis impe-  
tus ac saevitia ab homine consistente hu-  
mi, mitigatur. Canis imperfecto domino,  
cibum capere noluit atque inedia con-  
sumtus est. Canem etiam in Tiberim in-  
nataffe, cadaverque domini sustentasse,  
effusa Romanorum multitudine ad spe-  
ctandam fidei animalis, idem Plinius  
commemorat. Quum igitur haec in pri-  
mis duo animalium genera canes & e-  
qui, venatorum usui convenient: omit-  
tendum non est, quin de ipsorum equo-  
rum forma docilitateque paucula scri-  
bamus.

D E F O R M A E Q U O R V M , Q u i  
sint potiores ad venandum.

**Q**Vales ergo venatorum equi esse  
debeant, indicandum est. Ac scri-  
berem

berem de equis prolixius, si tu, frater, &  
copiosius, & ornatius, quam à me fieri  
possit, de eis non scripsisses. Nam de c-  
quorum natura, de nutriendi modo, qui  
apti ad pugnam sint, quomodo educādi  
sint, & instruendi, quales etiam esse de-  
beant, scriptum esse à te scimus. Verū  
quoniā Oppiani sententia est, ad venan-  
tiū usus equos hos necessarios esse, quos  
infra describemus: haec paucula de eis  
scribenda censuimus, ut intelligi possit,  
qui ad cursum, ad venandumq; apti exi-  
stentur. Perquiri itaq;, ac adapti debēt,  
qui lōgi sint corporis, musculorumq; dē-  
fitate nodosi, pulchrarū cluniū, pectoris  
ampli magniq; alta habētes capita, ut si  
quādo equū cespitare cōtigerit, subleva-  
ri facilis, quā domitus est, quō minus  
planè corrut, freno possit. Cervicē ha-  
beant arduā, collumq; ad anteriorē par-  
tem declinans, rotundum quidē, ac quia  
cervici iungitur, arduum: argutas aures,  
ac breves, latam frontem, oculos flam-  
meos ac rotundo. Densi eorum sint  
crines. Aperti valde nares, ut refla-  
re commodius possint. Largo sint  
ore, longoque; ne freno parum obœ-

diant. Quippe venatoribus cavendum est, ne laxis equi habenis, si currere e- quites oporteat, in abrupta præcipites ab equo trahantur. Scapulæ anteriorq; pars equi non carnis obesitate abundet, ne facilior equus ad cœpitandum sit. La- tis sit, inflexisque lateribus, ut aptior ad eventationem esse censeatur. Firmis cru- ribus, altis, rectisque; ita ut iuncturarum ligamenta compacta plurimum esse vi- deantur. Tibijs tamen ita macilentis, car- neque destitutis, ut velocium cervorum similitudinem præ se ferant. Duris ungu- lis, & altis, concavisque; ut si per saxa cur- rendum sit, equorum palmae minimè le- di possint. Tales igitur adpetendi sunt e- qui, tales (si facultas dabitur) eligendi. Tuscis sunt equi, & Armeni, & Græci, in- primisque Cappadoces, qui & ad vena- tionem, & ad pugnam aptissimi. iudican- tur. Hi enim quo magis seniū adtingunt, eò sunt ad cursum velociores. Fugienda tamen venatoribus equæ, quum si inter- venantium turmas equitum, qui equis maribus insident, adsint feminæ; inhiēt equi necesse sit. quo fieri poterit, ut inte- rim feræ quam velocissimè aufugiant.

Nec

Nec etiam propter pedum teneritatem equas longius currere posse existimatur.

DE E Q U O R V M D O C I L I-  
tate ac natura.

**Q**anta autem equorum sit docili- tas, quātum ad amorem hominū natura impellantur, cognosci experimē- to potest. Quippe auctor est Plinius, Sy- baritani exercitus equitatū, ad sympho- niæ cantum, saltatione quadam moveri solitum, prætagire pugnam, amissos lugē re dominos, lacrumas desiderio domi- norum interdum fundere consueisse; plurimis ut exemplis comprobatum sit. Tantum eorumdem ingenium esse per- hibent, ut etiam tela humi lecta equiti quandoque porrigant. Ad Oppiani sen- tentiam, qui maximis equi naturam extollit laudibus, hæc etiam adjicienda pu- tamus, quod tubarum clangorem bella- tores equi ita intelligent, ut loco stare quandoq; nesciant: ac si quando retræctari, vel iniri certamē debeat, agnoscāt. Qui fuerit Alexāndri equus Bucephalus, ex Græcorum scriptis intelligi potest. Nam contra hostes acerrimè pugnans

e. 3

sæpius nomen apud Græcos maximum est adsequutus. Sunt & aliæ Græcorum de equis narrationes, ex quib⁹ facile cognoscitur, quantū equorū gloriæ à Græcis tributum sit. Quumq; mirum quidam de equorum religione (ut ita dicā) ab Oppiano recitetur, quin Latinis etiā mandaretur litteris, prætermittendum non censui. Equarum cuiusdam regis armentum morbo quodam consumatum prorsus fuisse narrat, una tantum equa susterstite, eiusque pullo. Quem postquam veneri aptum esse armentarius existimavit, ne eiusdem omnino generis equis privatus esse videretur, matre, pullum pro admissario destinavit. Quibus quidem coire renuentibus, fraudem etiam armentarius commentus est. Alijs enim equinis pellibus, redolenti perfusis oleo, ut ambo vestirentur, procuravit: quod odorum redolentiam excitandæ veneri esse existimaret. sequutaque demum coitu, quium externis essent denudati pellibus, fraude armentarij cognita, ita se deliquisse putarunt equi, talique sunt affecti mœrore; ut torvis sc̄e prius oculis invicem adspicien-

D E V E N A T I O N E . 71  
 cientes, & lacrumabili cum utrorumque hianitu allidentes saxo capita, mox in præcipitia acti iacerint. Ceterū velocissimi quidam supra ceteros equi sunt. Ex his Lilybæi numerantur, & Siculi, ilique præsertim, qui in Actnæo monte rascuntur, alunturque. Sunt & Armeni, qui in Euphratis ripa fluminis degunt. Sunt & protensiōri iuba Parthi, qui ad eis sum Siculis aptiores. Sunt & Hispani, qui Parthos cursu superant, & saltu; ita it dici possit, eos volantem per æra aquiam, ayesque ceteras referre. Nam Favonio flante vento in regione illa impregnari equas, partumque perniciissimum ieri, Plinius auctor est: quamvis vires autem corporis perniciati non respondeant: quum longo currendi spatio, laboreque vincantur. Sunt & Numidae, Carthaginensesque in primis, qui ad labores fereidos censemuntur aptissimi. Sunt his aniaosiores, quum soli Iconis rugitū magi intrèpidi expectent, Mauri. Sed quoram varijs ferarum generibus, varia ut quorum genera respondent, cōsentaneum est: siccirco quinam ad quodvis apiores iudicandi sint, expo-

namus. Quorum pedes diversorum p̄jlorum generibus distincti sunt, ita ut nigrum fit reliquum equi corporis, ahenneive coloris, aut flavum, extrema crurū parte, sinistra maximè, alba: hi ad insectados corvos idonei dicuntur. Qui nigros oculos habuerint, ursos; quibus rubicundi fuerint oculi, pardos persequi debent. Quibus autem oculi pulchri magnique fuerint, pro leonibus feriendis aptissimi iudicandi sunt. Nicēi vero, quo pulchritudine ceteros equos excelleat scripsit Oppianus, non ad yenationem tantum apti sunt: verū etiam in clivis reges, maximè si aurei coloris pilos habuerint, brevioreque capite sint, & protensiore iuba super collum extensa, eisdem nequitare consueverunt. Sunt & alij, de quibus Oppianum consule. Et quoniam de generibus equorum à te quoque scriptum copiosius est, hactenus ista dixisse sufficiat. Poterunt, si qui equorum studiosiores fuerint, opus tuum, frater, jerlegere; de quo intelligent, quidquid de equis cognosci amplissimè poterit.

**A**ccidūt autem canibus morbi quidā, quibus adhibēda remedia sunt. ut si scabie, pruritu, leprave adfecti fuerint, maiores crurum venae, ad exteriorē partem descendētes, unde mitti sanguis possit, aperiendae sunt. Aqua deinde marina, vel cum sale mixta, vel in qua lupini cocti sint, canes abluantur. Extenuatur etiam scabies, trito allio defricto. Canū vulneribus si vermes inhæserint, citrinū stichados ad canis collum suspendito. quo quidem exsiccatō, mori vermes venatorum experimento comprobatum est. Si autem canum vulnera intumuerint, butyro inungito. nam eo tumores depelli creduntur, si plurimum lingere vulnera consuecant, id quod perutile canibus est; senationibus præsertim tritis, cum axungia, vel hircino sevo, adpositis. Solent & spinis plurimum canes ledi, quas hirundinum pulvere, si in olla torreantur, sèpius extractas esse comperimus. At vero si macilenti nimium fuerint, nec butyro quater exhibito reficiantur: sub lingua vermes esse censeto. Qui-

bus si acu extractis minimè refici videātur, mortem eos incurrere necesse est. Solent & canum aures muscis exulcerari adeo, ut totas quandoque amittant. Quod ne fiat, amaris nucibus contritis linendæ sunt. Pulicibus etiam infestari canes contingit. & remedia sunt, si sumatur cuminum tritum, pari pondere cum veratro ex aqua mistum, atque infiltratum: seu cucumeris anguinei succus. Amurca etiam veteri per corpus infusa, expelli canum pulices, auctor est Columella. Accidit etiam quandoque rabies canibus, cui quamvis fimo gallinaceo, cibis canum immisto, mederi quem posse putetur: cavendum tamen est, si eorum quis rabiosus effici contingat, ne à ceteris non separetur; quum & huiusc ægritudinis medicamenta fallacia reperiantur, & à rabioso cane morsos ceteros, effici rabiosos, sæpius perspexerimus. De qua ægritudine pænè nullos evadere canes, compertum est; homines etiam rarius. Si tamen aliquem venatorum à rabioso cane morderi contingat, silvestris rosæ radix præsentandum

neum remedium erit, alio præsertim vulneri imposito.

**A**ccidunt etiam equis quædam, qui abus nisi venator provideat, venationis usus aliquando ne impediatur, verendum fit. Quamobrem de his tantum, quæ in venatione casu evenire possunt, scribendum est. Nam, ut diximus, in tuo de re equestri opere copiosius, quæ ad equos pertinent, contineri scimus. Quoniam verò à feris vulnerari equos quandoque contingit, quo fieri solet, ut incisa equi vena, manet adeo sanguis, ut nisi citius provideatur, inhiberi sanguis nequeat: à venatore quæ fieri debeant, ne sanguis omnino profluat, neve plus iusto equus exanimetur, paucis complectemur. Igitur equinum sternus fluenti venæ admotum, fascijs adligetur; vel combustum filtrum urticæ succo madidum, venæque impositum, optimum remedium erit. Ne tamen lunari lumine vulneratus equus offendatur, caveto. Nam sæpius equum mortem

oppetere, lunaribus radijs offensum, experimento comprobatum est. Mederi deinde vulneri debes, liquida pice, atq; oleo; quū & expurgari his, & repleri vulnera soleant. Si autem muscis infestatur vulnus, pice, oleoque, ac unguine, eas submoveri, Columella refert.

D E C A P T V R A F E R A-  
*rum atrocium,*

Feras bestias, & animalia venatu capienda, quibusdam in locis asperis inveniri certum est, quæ equorum cursu vinci superariq; nec iaculis peti, nec canum ferocia capi possunt. Quare quo venationis genere utendum sit, scribere oportet; ne astu, vel viribus feræ evadat. Nam viribus, virgultisque, vel alicuius loci natura impediri canes ad currendum, equosque videmus. Quin & pedū perniciati feræ quedam, quedam ex institutione naturæ calliditati, quedam etiam viribus confidunt. Quæ quidem omnia hominum ingenij quo pacto superari possint, querendum est. Reribus itaque, vel laqueis, quibus fugaces feræ illaqueari queant, ut capi facilius, interficie

D E V E N A T I O N E. 77

fice possint, uti venator debet: observato prius ventorum flatu præcipue; atque ita, ut nec ferarum auribus hominum voces, quū retia explicatur, nec vestigia sentiri ab ipsis possint. Nec enim minus ventorum flatus à venatore considerandus est, quam à gubernatoribus navium considerari solet: qui si ventos negligere contineverint, submergi saepius naves necesse est. Sic & retro feras cessisse perspeximus, nulla ventorum ratione habita; quum quidem nec hominum vocibus impetuque, nec impulsu cōtineri, ne retro fugerent, possent. Quamobrem si austera flaverit, ubi residere feras cōrigent, aquilonem versus retia ponēda sunt. Itidem currendum à feris, si flaverit eurus, zephyrum versus; si aquilo, versus astrum, comperimus.

D E C A P T V R A L E O N V M.

Vnt & alia ferarum atrociora immaterialiaque genera, quas reribus haud illaqueandas censemus. Harum ingressus ad nemora, egressusque, & qua transcant, à venatorib. inquiri studiosius debet. Natura quidem earū hæc esse solct,

ut ad pascua, ubi semel acceſſerint, reverſtantur. Quo facilè cognito, subterranei faciendi ſunt cuniculi, foſſæve, levibus vigiminibus contextæ, coopertaq; frondibus: ut fallente veſtigio, qua fera trāſverit, intus cadere eam neceſſe ſit, unde diſcedere nequaquam poſſit. Quod ut melius adſequi venator quicat, in foſſæ medio lignea columnæ, ab imo præacuta, ut terræ inſigi cōmodius poſſit, dimiſa ad altitudinē foſſæ, adponenda eſt: cuius ſupra frontē agnus pro eſca imponatur. Quem poſtquam leo lupusve ſenſerit, vel adſecerit, ut eſcam capiat, adgreditur: cadentemque venator feram adſpiciens, capit interficitque. Hoc enim venandi modo in Libya venatores uti ſolere, Oppianus refert. At verò qui fluminis ripam Euphratis incolunt, alio venandi genere in leones uti conſueſcunt. Nam paratis equis, quos ſupra diſimus ſolos leonum tremitum impeſtumque exſpectare, quum ceterorum artus equorum tremere, ſi leonem ſenſerint, ſoleant, iþſiusque aciem oculorum ferre nequeant; ad ipſerum ferarum veſtatum equites accinguntur: venatoresq; pedites

pedites expaſſis retibus, quorum extrema ad Lunæ modū in ortu quarto cornutæ parari debent, tres in inſidijs collo-cant. Extremas retium partes duo, tertii medianam tenet obſervatque: ac eo diſtāt intervallo, ut eōrum audiri voces à ſingulis iþforum poſſint. pedites autem reliqui accenſis facibus populeis, vitigineſve, quas pice illitas dextera teneant, in leones inſiunt. Natura enim ſplendoreni ignis fiſius intueri leones nequeunt. Hoc modo clamore ſublato, quatiuentes ſcuta, equitibus ſimul turmatim inſequētibus, leonem cedere, retiaque petere cogunt: nec aliter, quam piſcis à piſcatore per ignis in aqua reſlexum lumen, ad iþfa retia ferarum rex compellitur. Eſt & aliud, quo Aethiopes uti ſolent, leonē vincēdi modus: qui quidem ut fortibus viris dignior, ita & mirabilior reputandus eſt. Nā Aethiopes, qui plurimū viribus cōſidunt, rotūdis ſcutis fortiter cōtextis, bonisq; pelliþ coopertiſ, ut nec leonū unguibus, nec truculentis dentib⁹, diſcerpi quafflarive poſſint, iþſi veſtit iþlibus, armati capite, ita ut non niſi oculi, labia &

tares adspici possint, leonem audacissime adgrediuntur. qui ante speluncam rugiens, aperto ore, igneis oculis fulmineisque contra Aethiopes velut turbo movetur, humana vesti carne avidius adpetens. Aethiopes imperterriti, leonis ferociam vimque exspectant; quorum si quem inermem invenerit, acutis unguibus ferreisque lacerat. Si autem venator rem alium exclamantem audiverit, priore dimisso, petit alterum. Sic alternatum clamantes, pugnantesque, leonis labore casuum ostendunt, quum unguibus scuta, dentibusve discerpi nullo modo possint. Nimirum ut in pugna miles ab hostium multitudine circumcessus, nunc heic, nunc illic pugnare non desinit, tandemque labore victus, pluribus illatis acceptisque vulneribus, humili deieatus, ab hostium agmine devincitur: sic leo labore defessus, multorumque lanceis confossus occiditur. Quamobrem in hominibus & animi vires, & corporis, adeo sunt admirandas; ut facile cognosci possit, nihil tam ferox, arduus, forte, magnumque, quin ab homine superetur, inveniri.

D E

D E V E N A T I O N E . 81  
D E C A P T U R A P A R D O R V M ,  
& quot modis capiantur.

Pardos etiam hominum ingenio capi compertum est. Siquidem ut supra diximus subterraneis coopertis foveis leones venatorum fraude deceptos, ad vorandum agnum columinæ impositum alligatumque accedentes, capi: sic & parvi, latratum quum senserint catuli, qui pudendis fortius constrictis dolore affectus latrare non desinit, eodem quo leones modo in foveam illecti cadunt. Venatoris tamen cuiusdam inventu & alio capi pardos modo accepimus. Nam in siticulosæ Lybiae partibus fons oritur, è quo nigra scaturit aqua, ibique scaturiens definere, harenaque absorberi creditur. Quo quum pardi accesserint, saturari aqua solent. Et quum id venator adpperit, ad fontem antelucanis horis accedens, vino aquæ illi immixto, à fonte sededit: pelibusque vestitus, quum ne quidem arborum frondibus occultari possit, in infidijs tegitur. infestatusque tandem siti pardus, ad fontem rediens, ea inebriatur potionem; qua & gravari, & alienari mente plerosque videmus.

f

Quo fit, ut sine dimicatione aliqua capi pardos, & homines efferari quandoque necesse sit.

## DE CAPTVRA VRSORVM.

**A**rmeniam verò qui incolunt, ursorum venatum invenere. In sylvis enim, quibus ursos infidere compertum est, venatores accedunt, canibus loro ductis, qui ursorum vestigia odore perscrutantes, quā ad ipsorum cubilia stationesque adpropinquarint, latratu feram indicant. Hos loris venator detinens, rediensque quo loco ursus resideat, venatoribus reliquis aperit.. Quamobrem flantis venti ratione habita, locisque; ut qua ursus transeundum sit, retibus impediatur, retia expandunt: duobus tantum relicitis viris, qui ad retium extrema stantes, in retia feram impellant, ne evadere ullo modo possit, extenso prius fune, quo expansa tenentur retia, nec quidem nisi ad hominis umbilicum altè protensa. Cornu autem dextero retium, sinistroque, funes extenduntur alijs, qui vulturum, ciconiarum, similiumpc avitum pennis dependentibus involuti, esse terrori ursi possint. Quibus ita peractis, dispositis-

que

## DE VENATIONE. 83

que pari intervallo, nec longo tamen (ut alter alteri auxilio esse possit) per retia reliquis, retrò venatorum cornua canunt tubæque, clamatur ab omnibus, ipsa fera hoc atque illuc, qua progredi debeat, prospiciente. Sic venatorum vocibus, latratu canum, impetuque, dispositi funis miraculo, reique novitate perterritus ursus, retia versus iter dirigit trucidans, ubi lineis eum insidijs capi necesse est. Quod quidem ut certius adsequi venatores queant, si vivum maximè ursum capere concupiverint, binis retibus duplatisque utuntur; utsi primis inhærens, unguibus & dentibus ea laceret, alijs etiam secundis involvatur. Viribus quippe suis plurimum confidens ursus, non hominem solùm, verùm etiam feras invadit, ac taurum aperto marte adgreditur. Nam ubi pugna conseritur, consternit se resupinum, dumque taurus ferire conatur, brachijs suis ursus complectens cornua, ore mortuum harmis desigit, prosternitque adversarium. Etiam ingredi, duobus innitens pedibus, eretus folet; ut commodius pugnare possit. Audivimus e-

tiam nuper à Sigismundi Poloniæ regis legato, in Sardinatis quodam venandi genere ad ursos vivos capiendos venatores uti. Nam tribus aut quatuor hominum milibus nemus, ubi ursos residere compertum est, circumdatur: adeoque, ut non amplius spatij, quam hominis cubitus sit, inter se distent. Quo peracto, à venatorum magistris eodem temporis momento, ubi cornua tubæq; cecinere, arboribus ac lignis eodem impetu statim per secures incisis, atque ita dispositis, raptimque contextis, ut quasi murus elevatus circum esse videatur, venatores reliqui, qui furcas quasdam manibus tenent, quum ursis adpropinquarint inventis, alij caput, alij brachia, alij pedes ursi furcillis ipsis impediant, atque adeo, ut ligari os, palmae, pedes, iufusque totus tutissime possit: quem ad regem ligatum deferunt, canibus & armis hominum interficiendum vel si deferre nequiverint, trahunt.

D E

R ESTAT NÜC, ut de timidorum animalium, astutorumque venatione scribam us: quæ tametsi venatorum arte capi haud dubiè possint, strigosiorum tamen viribus canum, currendiq; perniciitate, delectabilius capiuntur. Neque enim scorpionibus tantum, quæ nunc ballæ vulgo nuncupantur, subterraneisve foveis, reticulisve, aut alijs venationum instrumentis, ut superius dictum est, verum etiam præcipue canibus, qui cursu feras vincere conantur, necari possunt. Quapropter ut venationum usui responderem venatores possint, quo magis fieri potest, soli ab eis planicies est petenda: quæ si sylvis ac memoribus vicinior sit, ipsorum arte ingenioque currendi commoditas & equis prestabitur, & canibus. Nam quanto planior, virgultisque nudior locus erit, tanto venatoribus delectabilius offeretur. Quorum quidem studiū esse debet, ut si lepores persequantur, nec adeo strigosioribus fidendum canibus putaverint; in collis declivum fugere leporem cogant, quum si versus

f 3

colles acclives leporem fugere contin-  
gat,(colles enim naturæ instituto petere  
lepus solet)difficilius capiatur.Nam bre-  
vibus anterioribus tibijs , & posteriori-  
bus oblongis cruribus adscendere sem-  
per lepotes currendo admittuntur:quum  
si declives ferantur,impediri eorum cur-  
sus ob dictorum crurium longitudinem  
sit necesse. Animadvertendum tamen  
est, si in vulpes canes cœcurrerint, ut ven-  
tus à venatoribus inspiciatur:quum ven-  
to quasi impelli ad cursum vulpes vi-  
deantur. Quo fiet, ut nec calliditate astu-  
ve,nec pernicitate evadere canum mor-  
sus, qui capiuntur discerpanturque, pos-  
sint. Si vero capreæ cervique fuerint, ut  
experimento saepius comprobatum est,  
quum quasi flantem vētum petere cur-  
rindo soleant, ut refrigerari spiritus cur-  
su laborantes vento possint:ad venti fla-  
tum canes collocandi sunt. Adtrahi e-  
nim ita à vento cervi solent, capreæque;  
ut nolentibus quandoque venatoribus  
fugam arripere admittantur. Quæ vero  
de cervis ab Oppiano fabulosè scriptæ  
sunt, omittimus: quum hæc ab ijs, qui  
de animalium natura prolixius scrip-  
te, me-

re memoriae prodita sciamus.Illud autē,  
quod mirum videri omnibus potest,  
quoniam referrem, facere non potui. Legi-  
mus cervorum vitam longissimam ef-  
frenam .... eos adpellant, quos quidem  
tot annis vivere perhibent, ut etiam Vir-  
gilius dixerit:

*Et quater egreditur cornicis tempora cervus.*

Si vero Græciam, quod aiunt, mēdaceum  
esse non putamus, duplice illā vitam  
cervos agere, in mari unam, in terris al-  
teram, narrat. Migrantibus autem per æ-  
qua cervis, quum primum nare inc-  
perint, ordinata serie singillatim secant  
undas; & capitibus super clunes aliorum  
impositis, ne ob gravitatem cornuum  
submergi eos necesse sit, omnes progre-  
diuntur. ductore tandem defesso, ultimi  
clunibus caput ipse superimponit, reli-  
cto altero, qui gregem ducat; donec la-  
stitudine nandi eo modo alter patim vagan-  
tes per æqua, terram petant.

Vento autem, an aquis, piscibusque vi-  
vant nequaquam legimus. Eis tamen  
cum serpentibus ex institutione na-  
turæ pugnam esse, hoc potissimum  
exemplo comprobatur. Nam inve-

stigantes serpentum cavernas cervi, narium spiritu renitentes etiam eos extra-  
hant: adeoque natura ipsa invicem sibi  
contrarij sunt, & adversantur, ut fumo  
cornu cervini fugari serpentes videamus.  
Inveniuntur autem in Libyę regionibus  
cervi, quos super harenam incubantes  
serpentum multitudo aggreditur: illōs  
que propter veneni vim(nam infixi cer-  
vorum corporibus pendent) ne fugere  
quidem posse scribitur. Itaque serpentes  
nunc ore,nunc unguibus dissecant. Hinc  
vulnerum venenosorum multitudine  
fluentibus venis iam se mori putantes,  
petito fluvio, quo fieri potest celerius,  
cancris vescuntur. Nam veneni præsen-  
taneum id esse remedium constat. Qui-  
bus ex causis longiorem esse cervorum  
vitam putamus. Nam serpentum in  
cibo frequenti usū,hominū quo-  
que vitam renovari,fa-  
ma est.

B E L I

N O R V M D V C I S

*libellus*

D E A V C V P I O.

**P**ossent & multis animalium pu-  
gnæ describi. quæ apud Oppianū  
legere si quis volet, scripta repe-  
riet. Natura enim fit, ut quemadmodum  
amore sese invicem prosequuntur, licet  
expertia rationis sint: ita vicissim alia  
quoque sint alijs inimica. Experimento  
videmus, olores aquilis, ut Plinius ait,  
corvos milvis, & pleraque avium gene-  
ra quibusdam alijs adversari; effeque ani-  
mantibus, quamvis ratione parentibus,  
bella amicitiasque: ut quædam etiam  
quibusdam auxiliari videantur; quædam  
vero adeo dissideant, ut nec pugnæ finis  
ante mortem sit. Rursus amica non-  
nulla, ut turtures, & psitaci, pavones &  
columbi. Et pleraque alia, quæ Plinius  
scripsit, contra vulpiū omne genus com-  
munes inimicitias gerunt. Sed quum ad  
rem ista nō pertineant, pretermittimus;  
& pauca tantum, quæ in quibusdam li-  
bris invenimus, de venatione accipitrū,

f 5

quos falcones vulgò nuncupamus, scribenda arbitramur. Porrò promiserat Oppianus, se de aëria venatione scriptum. Nec tamen illud scriptum inventimus. Nam fragmenta nobis operum ipsius oblata sunt. Quare addendum id esse censui, ne prætermissum quis queratur. Igitur accipitrum plura genera Plinius commemorat. Alij namque non nisi de terra rapiunt avem, alij non nisi circa arbores volantem, aliqui in sublimi sedentem, aliqui volantem in aperio. Horum itaque naturam accipitrum describēdam censui, quos partim ex auctorum scriptis, partim vero experimentis probatos habemus. At quoniam adeo Latinitati studere non possumus, ut singillatim accipitrū nomina latinis exprimi à nobis queant; & accipitrum generali vocabulo si utamur, ipsorum describēd̄ species intelligi nequaquam possint; vulgaria imponemus eis nomina, ne species singulorum ignoretur. Abstinendum igitur à Latinitate nobis erit, dum vulgaribus vocabulis utimur. Id enim ut à lectoribus intelligi aperiens possumus, fieri necesse est. Inveniuntur

tur igitur accipitrum sex genera, quum de ceteris nihil scribere in animum induxerimus. Horum aliqui hierifaltones, alij sacri, quos in Britannia ut plurimum nasci legimus, alij peregrini, alij nobiles gentilesve vulgò, alij mediani (ut quidam dicunt) nuncupantur. nam inter peregrinos & gentiles medium genus esse fertur. alios denique villanos barbarè adpellamus. Horum omnium præcipuum genus est femineum, formaque ac magnitudine corporum maribus maiores sunt, & ad prædas capiendas ita natura fortiores, ut aves substinere unguibus commodius possint. Quæ quidem natura sunt ita lenes & mites, ita ad parendum hominum vocibus promptæ; ut aëriæ libertatis quasi oblitæ videantur. Cæliores tamen sunt mares, formaque minores; nec audaces adeò, quamvis naturale maribus sit, ut ad omnia audienda sint promptiores. Hi venatorum vocibus altis & prolixioribus, ut ab acuto in gravius procedant, longius adsuefaciendi sunt: ad eosque redire, quum venatores voluerint, vel

fame, vel consuetudine coguntur.

D E A C C I P I T R I B V S, Q VI  
vulgò hierifalcones nominantur.

**D**E hierifalconibus itaque scribere a liquid incipiamus, quos ideo dupli ci vocabulo nominari credimus, quia forma maiores alijs falconū generibus esse videantur. Hi ut rarius inveniuntur, ita etiam pulchriores accipitribus ceteris sunt. Nam & præter corporis formā, eo standi modo erecti permanent, eaq; membrorum compositione hominum oculos delestant, ut quamdam aucupā di maiestatem præ se ferant. Ultima Germaniæ pars ad septentrionem vergēs, quæ Norduegia nuncupatur, eorum patria est. Nidificant etiam in insula, quam Hirlandiam, vulgò nominant, adeoque præ ceteris frigidissima est regio, ut aliorū ibi generū accipitres non inveniantur: infertilissima quidem, altissimisque motibus, & faxis plurimis, geluq; nimio inhabitabilis. Quamobrem nullius ibi frumenti genus reperiri potest, nec nisi siccatis in aëre piscibus homines vivūt. Insulæ latus unum ad orientem spectas, quod

D E A V C V P I O. 93

quod mari adluitur, tantummodo habitabile est. alia, quæ ad occidentē, septentrionem, & meridiem spectant, invia, frigoribusque nimis inhabitata. Novem bri mēse, decembriq; duabus tantum horis sol conspicitur. Sed Iunio & Quintili mensibus dies ibi continuus. Nec mirum quod frigidissima præ ceteris illa sit regio, quū solares ibi radij semper obliquè feriant; solque illa incedens, supra eorum caput non feratur: nec Solis unquam rectis radijs insula feriatur. Mercatores, qui insulam adeunt, frumenti farinæve parum, ac vilissimas merces important; quæ siccis piscibus commutantur. Hi quidem hierifalcones ad Germanorum Imperatorem deferunt, quorum pennæ magis albæ, formaque maiores qui ceteris sunt. Nam qui è Norvegia transportantur, non albi sunt, nec adeo magni, quamvis illos meliores putemus. In ijs tamen duabus solū mundi partibus hierifalcones nidificare compertum est. Quare natura putatur adeo frigidos eorum esse motus, pigrosque, ut educti venatorum & ingenio, & arte, altissimos avium volatus persequi soleat.

Quod quidem volandi indies adsuetudine, exercitioque & venatorum opera quoq; magis ac magis adsequi possunt. Sed quoniam primum omnium satis constat, ex pennarum coloribus accipitrum cognosci animos facile posse, fulvum ac lucidum, auroque similem dicimus ceteris esse præferendum. Nam audacem, facilem, mitem, placidamque naturam eorum, qui sic pennati sunt, experimento venatores cognovere. Illū deinde, qui ad albedinem tendit, (forte enim, robustumque propterea accipitrem iudicant) post alium meliorem dicunt. Rubri item coloris accipitrum pennę si fuerint, superbum, audacem, iracundum, dyscolum, atq; difficilē eum iudicāt. At si ad flavū rubedo declinet, placidum, magnique accipitrem aestimant. Si vero ad nigredinem quoquo modo tendant pennae, immitem, pertinacem, & robustum tamen, expciuntur. Nigros autem, & eos maximè, qui fuliginei sunt, deterriores dixerunt. Et licet accipitrum natura habitudoque ex pennarum colore potissimum diiudicetur, nec aliter, quam ea, quæ aliorum accidentium medijs cog-

cognoscuntur: non tamen eiusmodi hoc est, ut ex cœlestium quandoque corporum influxu in alijs accipitrū generibus fieri aliter non possit. Sed animadvertisendum est, eo perfectiorem pennarum colorem esse reputandum, quo vivaciorem lucidioremque ipsum judicamus. atque ita clarissimum, ut ambiguitas à venatorum sensibus omnis penitus removeri videatur. Nam si varijs adspicientium iudicijs color varius iudicetur, in dubiumque color pennarum venerit; accipitris imperfectiōnem facile cognoscimus. Sed quoniam pennarum colore accipitris habitudinem, animique vires, & naturam, dignosci posse quammaxime diximus; de corporis vero forma, magnitudineve, volatum avium levem, earumque vires aestimari: pennarum in primis color inveniendus est, plurisque faciendus. Nam quanto animi vires corporis viribus praestant, tanto pennarum colorem accipitris formae preferendū esse cēserimus. Argumento est illud, quod in agronibus conspicitur. Quippe quū accipitres aliqui eos persequuntur, naturę instinctu fit, ut si

accipitrem cognoverint agrones occidere decreuisse; quamvis adhiti etiam ad fugam possent, eo tamen modo degenerant, atque ita volandi viribus deficiunt, ut in aquam se immerge omni conatu agrones studeant. Sed ad hierifalcones redeamus. Sint rostro adunco, non tamen nimis magno. quippe non prætermittendum, quin dicamus, accipitrum omnium rostra non nimis esse magna debere. Nam si ad ipsorum corporum formam inconvenientia sint, conjectari potest, id esse ex abundantia humorum nimia, nec quidem necessaria; quum ex his & rostra gigni, & unguis crescere, ut in hominibus quoque, conspiciamus. Quare non adeo leves & agiles iudicandi accipitres erunt, si huiusmodi fuerint, ut humiditate nimia abundant. Vnguis robustis sint, posterioribus maximè planis cruribus, nodosisq; nec lōgis: cuncta pro corporis forma decenti. Alarū vero summitates, ita sint robustæ, ut ex ijs facile iudicari possit, in volatu eos valde posse persistere. Vidimus tempestate nostra peregrinos sacrosq; accipitres adnitentes, ut agrones volando persequuntur;

fentur, relictis agronibus venatorum vocibus altis ad eos redisse: emissumque tandem ē venatoris manu hierifalconē ita citatissimo volatu vagabitem per aera in girum, crebriori alarum percussione, perspeximus, ut filo in sublime tractum cenfères; agronem ab alijs derelictum quasi ad sidera viciisse coepisseque. Adsuefaciendi tamen sunt, ac paullatim hierifalcones instruendi, ut si volatu ceteris prævalent, avium diebus singulis saginentur sanguine. Nam interficiendi aves consuetudine, animosiores efficiuntur. Adsequentur idem, si parvas etiam ingulare aves consueverint: quum si postea magnæ oblatæ fuerint, eas volatu vincere, atque audacius capere valeant. Est enim eis in more, naturaque sic ducentur, ut deditnari parvas, persequi magnas aves soleant. Quare tum quia delicatissimi sunt, tum etiam quia quod magis naturam imitari accipitrum venatores consueverint, eo saniores avidiorēs que prædæ accipitres efficiuntur; vivis avibus, levibusque nutriendi sunt: quippe natura vitalem calorem conservare student, quū per similia cōservari quæq;

constet.namque cibari , silvestres quum sint, aviū cordibus , cordive propinquis captarum avium carnibus solent.nec nisi semel tantum,quum eos vesci eisdem altero die,nequaquam compertum sit. Dandi itaque præcipue calidi sunt accipitribus cibi,vivisque pascendi sunt avibus,eo præterim tempore, quo pennas mutant,quippe arte iuvari debere natum accepimus. Avium verò pennas perætates mutari, Theodoro interprete, Aristot. auctor est: ac quotiens acriora frigora urgent, volucrum pennas unicolores esse: postea verò, è nigris, nigriuscilicet,albiores singulis annis fieri,solidioresque,ac firmiores,videmus. Calore autem fit,ut apertis invisibilibus foramina, accipitrum pennæ mutentur. ac ne frigescant, & ipsorum ut pennæ firmiores,pulchrioresque nascantur ; calidis nutriendi sunt cibis. Opera tamen in primis est danda, ut quum accipitres pennis veteribus spoliandi sunt, à vento, ubi eos residere contigerit, locus sit remotissimus.Nam frigore,vētove nimio, foramina invisibilia claudi solent, è quibus penitulæ recentes proveniunt. Nec etiam

etiam terrentium rerum strepitus accipitres sentiant,quo pennarum exitus retardetur. Solet enim fieri,ut natura saepius ex aliquibus affectionibus animi, que inopinatè accidunt,impeditur. Sed ne alia quædam, quæ ad cibationem accipitru pertinent,prætermittantur; hæc etiam addenda putamus. considerari videlicet in primis debere,naturam avium ad volandum esse dispositam , pluribusque diebus accipitres, quum pennas mutant,quiescere; præter naturam esse: atq; ut ventri tantum studere videantur. quæ ex re morbi quandoque plures, quibus non facilè mederi licet,quum eo tempo reprobrius exercitatione careat, ipsis accidunt. Vnde facilè fit,ut pennarum exitus impeditur. quod si parcitate cibi laborabunt,marcessere; sin cibo nimio repleantur,cruditatibus eos infectari,fatietateque,neceesse est. Tenendum ergo temperamentum erit,ut & pulchrioribus solidioribus pennis vestiantur, & saniores accipitres reddi possint; neve maximè pingues adeo fiant,ut volare postea nequeant. Alternis ergo diebus,solidioribus quandoque cibis, quandoque verò

fluidis pascendi sunt. Quum vero alarū pennas principaliores mutaverint, solidiores dandi sunt cibi, offaque vesperi: dummodo accipitris deinde guttur, differtis avium collis, impleatur. Ipsorum tamen aliqui pinguiores si facti sint, nimioque satiati cibo, adeoque ut cibum respuant; ex parvulis columbulis, qui nō omnino pennati sunt, cibus eis dandus est: tum quia gustu ceteris avibus sunt meliores, magisque delectat; tum etiam, quod quanto tenerior fluidiorque cibus est, tanto ad concoctionem aptior reputetur.

**D E A C C I P I T R I B V S, Q V I S A-**  
cri appellantur: deq; milvorum  
natura.

**S**Acriti, qui multorum opinione, aliorū omniū volacissimi sunt; aērini à quibusdam nuncupantur. quidam autem ἀεροφίλες eos vocant, quasi aerem amantes. Nam & ex pennarum colore arguitur, ad ignis similitudinem pennati quū sint, leves & agiles eos esse. bilis enim colorem in pennis præferunt. quare calidi cordis esse putādi sunt, irascique nimii,

si præ-

si præda fraudari se aliquo modo senserint, magisque quam alij solent. ideoque acres potius diçendos putamus. Volare confuescūt bini ternive, quum aliorum generum accipitres ignobiles persequuntur, ut milvi sunt, & ceteri huiusmodi. Nam quum manibus sint parvis, hostisque fortior, ad volatumque persistens nimium; una ut alteri auxilio sit, necesse est: maximè, si nigri capiendi sint à falconibus milvi: quorū quidē duo sunt genera, quos, tēpestate nostra regales altros, alteros verò nigros adpellamus. Hi quidē robustiores sunt, ita ut quamvis etiam ad terram usque sacrī à falconibus acti, per aera descendant: è falconum tamen manibus quandoque evadant. qui quoniam cauda utuntur in aëre flexili, gubernandi artem monstrantes in imo, relictis in terra falconibus, qui ob aëris densitatem huiusmodi generis milvos amplius insequi minimè possunt, in aëra iterum soluti sacrorum unguibus falconum, ad sidera tolli videntur. Qua ex re indignari falcones, dimissa præda, inter se se rixantes, ac se invicem ad uncis unguibus ferentes, sèpius vidimus: adeo-

que, ut aucupandi animum reliquisse videantur. Quod uti cavere venatores, iniuriasque sacri oblivisci possint: omni cura studeant venatores, ut simul & una sacri nutriantur, simulque sedent, & quietescant; simul, quum à venatore ad vescendum invitantur, instrumento volubili, avem aliquam quasi præ se ferente, residueant: ut communis carnis alimento nutritri sociatim adsuecant. Hoc enim principiū fieri debet, ne prædandi errore in volatu decipi capiendo queant. Frigoribus autem, vētove, aut imbribus magis, quam cetera falconum genera, resistunt. Quamobrem nec mirum est, Ferdinandum olim Siciliæ regem huic venationi generi magis deditū fuisse: tum quia plurium generum avibus officere magis facri videntur, tum ctiā quia ventis ac imbribus prohiberi huiusmodi aviū venatio nullo modo possit. Maximilianiū Cæsarē nuper audivimus ē suis quosdā ad extremas Sarmatarū oras, quos Polonos nominamus, exploratum misisse; ut accipitres hos ē proprijs nidis ad se deferrent, quos quidem in illis partibus nidificare in arboreibꝫ minimè proceris in-

vene-

venerūt. Vnde nō parvis hos accipitres avibus vesci, facile adparet, quum ex hac ipsa nidificatione colligatur, eos magnas aves capere solere. Itidem ē nidis adductos, nō volantissimos adeo, ut eiusdem generis ceteros, experimur. Credimus tamen, ad grues capiendas animosiores & aptiores esse: quum diuturna canum consuetudine fiat, qui accipitribus his esse auxilio solent, ut maiores aves capere, atque unguibus detinere canis ope facilius possint. quamvis aliqui venatores sint, qui existimant aves quādam in sublimi propterea non nidificare, quod omnī generū cadaveribus pasci tolent. Invēti enim aliquādo sunt huiusmodi sacri accipitres animaliū cadaveribus vescentes. Quamobrē an quod magnis avibus, an quod cadaveribus vescantur, altè non nidificant; aliorum iudicio relinquamus.

D E A C C I P I T R I B V S  
*peregrinis.*

**S**VNT etiam peregrini accipitres, quorum duo genera sunt. Alterum est colore nigrius, ut quasi gētilis adpareat, de quo paulo post dicemus. Alterum vero

g 4

Illud est, quod pénis colorē aéreum prae-  
se fert, in singulisque peninarum capitili-  
bus ad coronæ modum albedine singuli-  
latim distinet̄ penne quasi picturā quā-  
dam ostendunt. Hos omnes eodem  
volare modo, eodemque ferire vide-  
mus. Nam supra paludes altius ita vo-  
lare dicuntur, ut anates anseresque, &  
quandoq; ceteras aquatiles aves adun-  
cis unguibus feriant: quum de sublimi  
in pronum velocissimè descendant, ac  
eo animo viribusque; ut unica posterio-  
rum unguium percussione, istaque co-  
dem mortuam per aéra delapsam esse  
victam avem quandoq; perspeximus.  
Horum natura ita mitis est, ut quodam  
modo irasci nesciant, ad hominumque  
nutus magnitudine quadam animi po-  
tius, quam famis maceratione inediave-  
aucupentur. Quippe venatorum inge-  
nio & arte instituuntur, eorumque vo-  
cibus atque nutibus adeo parent; ut, si  
macilenti non sint, enixissimos avium  
volatus altissimosque adgredi peregrini-  
nos hosce accipitres posse, venatores ad-  
firmare audeant. Patria eorum ignora-  
tur, nec quomodo, aut ubi nascantur, sci-

ri hucusque potuit. Qua ex re percognos nominari putamus, qui quidem de-  
licatius nutriendi sunt, atq; ita pinguiores conservandi, ut cum volantissimis e-  
tiam, magnisque avibus audacter forti-  
terque inire nō expayescant: & morbis,  
qui ex macilenta falconibus evenire so-  
lent, provideri melius, ne accidant, expe-  
dit, quamvis si agrones, eiusvē generis a-  
lias aves, quas natura falcones non perse-  
quuntur, peregrinos volando venatores  
aucupari debere censuerint, fame ac ci-  
bi parcitate abstinentiaque inducendi  
sunt, ne agronum vocibus terreātur, nec  
ineptam eorum formam, letalesque ro-  
strorum iectus pertimescant. quod ut fa-  
cilius adsequi venator possit, ter, aut qua-  
ter, alterius vicibus, agrones vivi falco-  
num manibus adtrectandi sunt, deplu-  
mandique: ne turpis magnitudine for-  
mæ, neve insolitis peregrini agronū vo-  
cibus terreantur. Curandumque, cibato  
prius levioribus cibis falcone, ut bambi-  
cina offula, plumeave faltem, vespere, si  
postero die venandum sit, aucupa-  
turæ avi sollertiaus offe-  
ratur.

## D E M E D I A N I S.

**E**st & alterum eiusmodi accipitrum genus, quos itidem peregrinos, ceu dictū est, nominamus. in Norvegiæ partibus hi nidificant. colore sunt nigri. ad rubedinem tamē tendunt pennæ, in Britanniaque minorcs nigrioresque nasci solent. Quare medianos hos potius dicē dos putamus. At verò qui in Belgis nidificant consueverunt, priores alijs eiusdem generis à venatorib. iudicātur. Nam perdices aucupari tantūmodo solent. Quocirca considerandum est, quò frigidioribus in regionibus nascantur; cò meliores accipitres experimento reperiri. maximè tamen aliquos, qui nō adeo forma, nec pennarum colore præstantes, ut alijs quidem, sunt; meliores sàpē numero videntur.

D E A C C I P I T R I B V S G E N E R O S I S,  
*qui vulgo gentiles nuncupantur.*

**D**e gentilibus autem, quum paulò minores forma sint peregrinis, dubiteturque à venatoribus quandoq;, peregrini ne sint, quum eiusdem sint quasi formæ, eodemque pennarum colore distincti, pauca dicenda putamus. De volatu po-

tu potissimè iudicari potest, an peregrini sint, crebriore. Nam motus alarū spissior & crebrior inter volandum, gētiles esse demonstrat: quum peregrinorum alæ, remorum in triremibus motum referant. Animosiores adeo sunt, ut ad omnia avium magnarum genera audacissimi iudicentur. Differunt tamen à peregrinis plurimum, quòd nec adeo veloces sunt, nec animi generositate aliqua, sed famc potius prædam insectari consueverunt. nihilominus eo sunt animo, ijsque viribus animi præstant; ut etiam ante, quām aves alias cognoverint, & adhuc ad hominum manus è nigris egressi pervenerint, nō anseres solū, verū etiam grues capere maiores audeant: quæ docti velo cissimique canis auxilio, donec venator advenerit, dicitur, sunt nam frequētia visus, & falconem apud canes cibandi adfuetudine fit; ut ab alijs avibus falconem canes discernant.

D E I G N O B I L I B V S, Q V O S V V L G O  
*Villanos vocant, accipitribus.*

**V**illanos audim⁹ in Gallia reperiri optimos. q; an venatorum arte industriae, an ip̄ farū natura eveniat;

non comperimus. Fieri quidem potest, ut quum frigidior sit Galliae regio, (nam frigore fit, quemadmodum superius diximus, ut aves cibi magis sint adpetentes) duci propterea possint, ut sociatim magis ferire aucuparique aves aliquæ videantur. Vnum tamē scire possumus, illarum istic operam avium proprietati nominis respondere: quum in regione nostra nec animo viribusque, nec volatu valeant: adeoque superiorum accipitrum genera, quæ perscriptissimus, meliora sunt ad aucupandum, aptioraque apud nos inveniuntur.

**D E : Q V I B V S D A M   A C C I P I T R V M  
morbis sanandis.**

**A**ccidunt accipitribus quandoque morbi; quos venatorum diligentia sanari facilitus posse cōpertum est. Nam aliqui morbo capitis laborant, alij oculorum gravedine, ita ut palpebræ quasi coēant; alij ex unguium aliarum avium puncturis; alij denique intestinorum restrictione, induratis fæcibus, molestantur; ut accedēte febrili morbo, mori eos quandoque necesse sit. qui quidem omnium

nium morbi si naturæ tantum efficaciat, tati dimittendi censeantur, fortunæ potius eventu, quam venantium ingenio aucupandum erit. Duplex ergo tenendus est modus. unus quidem, ne quis falconibus morbus accidat. nam paucitate cibi nimia, si macrescant; morbos evanire necesse est. alter vero, ut quanto magis fieri poterit, sanationis eorum habeatur ratio. Primum itaque cavendum est, ne fumo, ventove nimio, ubi eos residence cōtigerit, neve alia re quapiam caput corū gravetur atque lēdatur. quod quidem vel de palpebrarum & oculorum occlusione, vel lacrimalium ab oculis destillatione, vel narium constrictione, ipso præsertim accipitri caput hinc inde movēte, facilius adgnoscitur. cui quidem morbo mederi quis potest, si vel cū latro piperis pulvis cibo immixtus detur; alternisque diebus ex aloë offa eius ori immissa fuerit: vel quandoque aperto rostro, alicibusque evanientibus spissis. Nam id alarum spissa extensio patefacit. alternisque vicibus si pedē rostro percussiter, stilo tunc aureo argenteo proveri, ut dilatentur narium foramina,

debet; butyro cicatrice inuncta. atque  
hoc remediuū et si perutile sit, experimen-  
to tamen cognoscimūs, huiusmodi ac-  
cipitres, quibus narium foramina sic di-  
latata sunt, altissimos volatus aviū per-  
sequi non posse. nam vento, qui per dila-  
tata ingredi foramina solet, ne altius ad-  
scendant, prohiberi eos putamus. Si autē  
aquam naribus emiserint, grana piperis  
tria, laxifragiāq; tantum dē, aceto misce-  
bis, & bambice (quod xylon adpellatum  
invenimus, ut intelligamur) in eis tincta,  
falconū nares inungito. At verò si falco-  
num oculis maculæ evenerint, vel pari  
piperis, aloesq; tantumdem superpona-  
tur, vel si silvestrium spinarum pruna ha-  
beri poterunt, (sunt autem coloris rubri)  
earum succus lēsis oculis instilletur. Pun-  
cturæ verò avium, oleum cum ovi albo  
mixtum superponatur: cavendumq; ne  
in vulnus aqua ingrediatur. Si verò me-  
dicamentū rursus hulceri admoveri a-  
liud contingat, vino prius calido vulnus  
abluito. thure postea, resinaq; ac sevo, &  
cera, pari pondere, igniq; unguento ad-  
posito ac liquato, perungi locum cura-  
to. Carnositati verò evenienti superflux  
urtica

urtica græca superponatur. qua carnosissi-  
mate conrofa, ex cerusa, oleo rosaceo im-  
mista, camphoręq; modico vulnus inun-  
gito. Solent etiam accipitres lumbricis  
adfligi, qui sēpius nascuntur è cruditi-  
bus. Quare danda plurimum est opera,  
ut bene concoquant. quod ut fiat, levio-  
ribus cibis, pullis scilicet gallinaceis, non  
bubula carne, auctis similibus, cibandi  
sunt accipitres. Si autem contigerit, ut in  
eorum ventre, vel intestinis, lumbrici na-  
scuntur, quod ex emissō cibo digesto faci-  
lē cognoscitur; caro suilla, squamis ferri  
superpositis, accipitribus dāda est. vel su-  
me passerum sterlus, pīscisq; pellis cru-  
dæ, cui tinca nomen est, combustum pul-  
verem, eboris rasuram, & squamā ferri,  
pari pondere, suino cordi impositam, su-  
perq; sparsam accipitribus dato. At verò,  
si tinea depennari accipitres videantur,  
quod quū macrēscunt, evenire plurimū  
solet, quādo primē accipitrū partes sunt,  
ut bene pennati sint: myrobalanis, sale  
gemmato, arabico gummi, granisq; triti-  
ci, aceto infusis omnibus acriori, per dies  
novem accipitrem morbosum lavato. a-  
cu etiā extrahi tineas, balsamo peruncto.

demum foramine, ex quo extracta sit pena, præsentaneum remedium est. Podagra quoque pedes accipitrum infirmari plurimum solēt. cui quidem morbo butyrum medetur, cum oleo & aloë pari quantitate mistum, ac tumēti accipitris pedi illitum, felis carne cibati. quo pacto tribus sanari diebus scribitur. Plura dici possent, quæ venatorum experimentis relinquimus. paucula tamen hæc dista finto, ne omnino de aëria venatione nihil scriptissime videremur.

## E P I L O G V S.

**H**abent itaque virorum nobilium, principum, regumq; filij, quæ pro eorum institutione lectitare poterunt. nam quemadmodum educari debeant, & quid ipsos deceat, scripsimus. habent etiam venationis modum, quem de Oppiani fragmētis excerpimus. nec de terrestri venatione, quæ principibus maximè viris pecularis esse solet, aliquid nobili viro dignum à me prætermissum esse videtur. Hoc unum tamen scribendum restat, venationem nec pace, nec bello parvi faciundam esse negligendam ve-

tum

tum quia venationis exercitio locorum angustiæ, prærupta montium, insidiandi ars, regionis denique agnitus magis à venatoribus percipi potest: tum etiā, quod equitandi usū, consuetudineque venandi aptiores ad pugnant equites, si quandoque pugnare contigerit, sicut. Ut enim in bello, si legibus imperatoris milites non paruerint, pœnitentiam pro criminis insolentia statim sequi necesse est: sic in venādo, nō parentē venationū legib⁹, illico pœnitentia. Quippe si silendum sit, non servato silentio, retrocedere fera co spicitur, quæ adventura existimabatur: admittentibusque cunctis, effici, ne retrofugiat, nullo modo potest. Et quanquam tot virorum illustrium, tot maximorum auditorum exstant opera, quibus si vacandum principes putaverint, ipsorumque librorum studiosissimi fuerint, meas (ut ita dicā) inceptias legere deditabuntur; eorum tamē intererit, si legendi forsitan eos satieras caperet, in hoc parvo volume illa tantum, quæ eis sint usui, perlegere: quibus & delectari, & instrui eorum animus quoquo modo poterit. idque eò magis, quod quemadmodum militan-

h

dum, imperandumve sit, & quemadmodum disceptationes causæque decerni militares debeant, (scribere decreverim?). Quum autem summam in te militaris esse rei peritiam cognoverimus, ut etiā de illa præcepta dare possis, & summum in unaquaq; re ingenium, qui ætatis maiorem partē in regum aulis consumisti; quumq; solitus sit, uti diximus, Ferdinādus Siciliæ rex, à quo institutus es, venationi plurimum incumbere: tam ea, quæ ad militiam, quām quæ ad venationem pertinēt, tibi destinamus; ut si qua videbuntur addenda, pro earum rerum, quas scripsimus, condimento addere peritus possis.

### BELISARII A Q V I V L VI, N E R I T I N O R V M D V C I S, AD Illustrē Hadriensium Ducem, Andreām Matthæum fratrem,

#### D E R E M I L I T A R I .

**N**on minus turpe ducimus, eos milites, qui à primis annis litteras dicent, in otioque versentur, nō mandare litteris, quæ rei militari convenient: quām patricium virum togatum, suæ

DE R E M I L I T . 115  
stæ civitatis iura nescire; atque artifices artium, quas exercent, rationes ignorare. Quum itaque pluribus annis post adolescentiæ tēpus militiæ vacaverimus, nunc autem fati acerbitate, totque fortunæ ictibus perculsi, otium ac litteras amplexati simus: quando maximo optimoque deo ita placuit, ne otio torpercet, ac ventri tantū, ut Salustius ait, somnoque dediti, vitam sicuti peregrinantes transire videamur: de rebus, quæ ad militarem disciplinam pertinent, scribendū mihi esse arbitror. quæ tametsi ab alijs forsitan scripta copiosius sint, tamē & nos exercitationis gratia de ijsdē commentari decrevimus. Nec enim hęc scribimus, ut tanquam temporibus irati, nostras calamitates deploremus: sed ea potius, quæ professionis nostræ sunt, filētio præterire noluimus. Quo sit, ut quum de his rebus differimus, vel cum hostibus propriodem manū conserere, vel cum nostris Neapolitanis nobilibus colloqui & disceptare videamur: qui quidem ita de pugnantium causis iniurijsque sæpe disputant, ut in maximis ducant rebus, de militari inter se loqui posse discipli-

na:quū nihil militia præstatius,nihil laudabilius,nobilisq; nihil honorificētius inveniatur.Qware omnia,quæ inter nos s̄a numero agitata sunt, ad te scribim⁹ destinamusq; ut quæ huic operi addēda videbuntur,tamquā militaris disciplinæ peritissimus addere haud iniuria possis.

## DE MILITIAE LAVDIEBUS.

**Q**uam itaque duo pugnandi genera inveniantur, quorum alterum est, quòd imperatorum ducumve iussu à militibus exercetur; alterū verò , quod certamen singulare dicitur, quando ex provocatione duo vel plures inter se iniurijs lacesſiti decertant: primū pleraque ducibus , exercitibus , militibusq; convenientia mihi scribenda videntur. Sed si prius de militiæ dignitate à nobis aliquid dicatur, (etenim quām magna sit,scribi à me nequit) verendum est, ne eius ipsius laudi,si pauca dixerimus, detrahatur. Vnum tamen prætermittere nolumus,honorē(ut Aristoteles ait) maximum esse præmium virtutis . Qware quum militibus honor præcipuum præmium sit,virtutem ipsam præcipuam esse rēm militarem censemus . Tanta  
verò

verò militiæ dignitas est, tantumq; ab omnibus ei tribuitur:ut etiam obscurissimo loco natos, eam ipsam exercendo, cottidiè illustriores fieri videamus. quippe in antiquis legibus scriptum est, eos, qui aliquo iudicio publico dānati sint, adulterive fuerint,inter milites recipieſdos non esse.Si quis verò militum in aliquod flagitium conspirarit, vel si legio defecerit: exauktorari.Qui stationis munus reliquerit, è militiæ gradu reiici . Qui sacerdotem interfecerint, à militia repellendos esse.Sed in furcam,aliquo facinore comperto,non damnandos. Vnde facile iudicari potest, tanti militiam fieri, ut pro gravissimis etiā criminibus poena constituta sit,ut militiæ gradu tantū miles deiiciatur. Quin & indigni militia iudicati sunt,qui in curijs procuratione uterentur, propterea quòd illiberale videtur,alijs, quām ducibus praefectisq; suis milites inservire.Nec minus & ij,qui mercaturæ operam dare deprehendantur, seque vilioribus eiusmodi negotijs deturpent, ex ipso militiæ gradu pellen-di putantur. Quòd si aliqui tempeſtate nostra mercari milites solent, excusandi

erunt:quum ab illis militia nunc interdum exerceatur,qui vitam utilitate,non decore metiuntur. Sed adhuc dedecus ac turpitudinem à militia removimus, nondum enim laudes eius ac gloriam recensuimus.Cicero quum pro L.Murena orationem habuit,rei militaris virtutem ceteris præstare dixit. Ipsa namque populo Romano æternam gloriam perperit : ipsa Romanorum imperio terrarum orbem parere coëgit : omniaque in tutela & præsidio tandem bellicæ virtutis ponenda esse commemorat. Quod autem imperium sine militi arte viribusq; stare diu potest? aut quod regnum esse stabile? Et si animi præcipue virtute,tamen etiam viribus corporis augeri retinerique imperia videmus, Nunc autem qualis esse debeat imperator,vidcamus.

## I M P E R A T O R Q V A L I S.

**I**ngenium,animiq; vires in primis imperatorum habere decet. Nam sine ingenio si corporis vires imperatoribus suppeditarint,multos exercitus pessum datum iri non est dubium. Primùm igitur imperator,dux ye copiarum , aut qui

regit

regit exercitum,ijs moribus prædictus est se debebit;ut nulli magis confidendum, cum nullo magis audendum milites cœfiant. quippe nullo labore nec corpus eius fatigari , nec animus viñci debet. Nā eius exemplo adducti milites, promptiores in tolerandis laboribus,& animosiores efficientur. Bonus autem imperator is dicendus est,qui in omni re temperati continentisque viri officio fungitur : ut nec nimius, nec temerarius esse videatur;sed in omnibus rebus temperiem ac modum servare putetur. Sit sobrius, robustus,laborum omnium patientissim?, acer ingenio, fortis & magni animi,comis,facilis;non adeo tamen,ut à suis postea,quod plerumque fieri solet,contemtui habeatur;nec adeo durus,acerbusq;, ut odium sui concitet. Non etiam lucri cupidus.Qui enim auri,argenti, aliarumque rerum cupiditate non tenebitur,is magnificè rebus omnibus administrandis præsidere putabitur.Stipendiū,quod militibus promissum est,persolvendum curet:quum stipēdio defraudari. milites non debeant.Nam si negari sibi miles salarium viderit,tantas concipere animo

perturbationes solet; ut imperatoris sui præcepta non audiat,& ante in castra insultare hostes patiatur, quām capere arma velit.Huius tamen extimationis Hispani tempestate nostra haberi voluerunt.Nam in regem suum,quamvis longius abesset,ea fide,eoq; amore usi sunt; ut licet, quam sæpiissimè stipendium eis persolutum non esset, & summa victus tenuitate laborarent, alacres tamen in prælium,tantisq; animi viribus profecti sint,ut nullum quandoque hostibus salutis locum reliquerint.Tantum apud illos proprij honoris ac famæ respectus valuit.Sæpe etenim vidimus Cōsalvum Ferdinandum in singulos menses singulis militibus quaternos aut quinos pollicitum:& tamen post binos menses, sine ullo stipendio,nec præda facta, non nisi dimidium unius aurei singulis persolvisse:illos autem patientissimè,quod datur, accepisse;ac sine ulla detractione prælium iniisse.quod quidem tanto mirabilius videri debet,quantò reliquè externalium gētiū nationes rarius ita se gerere solēt. sed de his hactenus. ad rem redeam̄. Sit etiam ingenio imperator,

litte.

litterisq; pollens , ut ad dicendum ac persuadendum aptissimus habeatur. si quidem nō tam ad arma capeſſenda inſonans auribus tubarum clangor militū animos erigere,atq; ad incūdam pugnā impellere poterit:quam adpoſita,& pro tempore accommodata imperatoris oratio. Exemplo ſunt antiquorum pluri- mi.Romani etenim imperatores oratione ſua militum animos adeo accende- bant,adeoq; pericula milites exhortationibus ipsorum moti contemnebant: ut quaſi vitam pro vincendi gloria quo- dam odio proſequerentur. Legimus Fe- dericum Vrbinatum ducē temporibus noſtriſ ea litterarum disciplina valuisse: ut inter Italiæ imperatores primum ob- tinere locum diceretur. Litteris enim adeo incumbendum cenebat, ut Ariftoteliſ tui,& historicorum libros ſemper in manib; haberet: quod ei videretur, nulla in exſequendis rebus uti delibera- tionē imperatorem poſſe, ſi virtutum i- pſarum effectus ei cogniti non eſſent.Di- cere autem solebat, multo magis ratio- ne atq; artibus,quām minis milites im- peratoris dicto audientes effici. Det igi-

h 5

tur operam imperator, prium ne milites imperij contemtores effiantur, nimia præsertim ipsius indulgentia: quum ad cōtinentiam eum redire difficile sit; qui impune turpia facere consuevit. Aureliani imperatoris epistola ad tribunum nescio quem scripta facilè nos admonet, usque adeo debere milites ab in honestis turpibusque rebus contineri, tamque severè in ipsis, si à militari officio discesserint, animadvertendum esse: ut si imperatoris dicto minimè audientes fore se se ostendant, militari plectendos poena arbitretur. Is namque, Pontani nostri ut verbis utar, cui plus equo indulgetur, violare adsuescit, rapere, cum hostibus colloqui, ex pacato prædas age: re: quem ubi continere imperator voluerit, aut contemnet imperium, aut ad hostes transfugiet. Erit etiam imperatoris præcipuè diliberatione rebus in omnib⁹ utili: ut, si cum hoste pugnandum sit, quomodo acies instruantur. Vbi etiā castrametandū, quandoq; deniq; quiescendū, quando congregendum videatur. Id enim præcipuè si adsequi imperatores volunt, sine prudētia rerū magistra nequam

quam adsequi poterunt; quū habitus sit agendi prudentia, deliberandiq; ea, quæ bona sunt, aut mala. Prudens igitur imperator in primis sit, magniç; animi, qui p̄ se si corpus, cui prudentia deest, consilio destituatur: & animus virib. substitutus, nihil recte perficiet. Quum autē magna sit prudentiæ pars, imperatore tutò com modeque castrametari: pauca quidem, quæ ad locanda castra pertinere censeamus, scribenda videntur.

QVA RATIONE SIT CASTRA-  
*metandū.*

Primum castrorū locus ab imperatore deligendus est, in quo intra vallo ita tuti milites reddi possint: ut etiā si hostis obsideat, quasi in civitate mœnib. circumdata habitare credātur. Quod si natura loci nequiverit imperator adsequi, arte saltē efficiatur. Vallo etenim, fossa, turriculis, unde ex transverso tormentorum generibus castra tutari liceat, munēda sunt. Sic Alphonsus Calabriæ Dux Iulij patris nostri consilio apud Rocam castra muniti iussit. q; quū ab uno tantū latere mari tutissima redderentur, planicesque ab alijs lateribus maxima inter hostiū urbem Hydruntū, nostrorumq;

castra intercederet: ita tamdém vallo, fossa; aggeribusque, ac turriculis terreis circumdata sunt, ut barbaris ipsis, qui amplius viginti millia fuere, à tribus solùm millibus peditum, milleque equitibus resisteretur. Nam æneis tormentis, que globosos lapides emittunt, hostium militibus adeo castrorum adgressus prohibebatur: ut etiam ad visenda nostroru[m] castra milites hostium accedere non auderent. In castris autem abunde ut comedatus importari possint, ab imperatore studendum est: qui si quandoque defuerint, ut s[ecundu]s numero contingit, non imperatoris voluntate, sed vivendi necessitate pugnare forsitan exercitus cōpelletur. quo fieri etiam solet, ut maximi plerumq[ue] duces, & fortissimi exercitus, inordinatam pugnam inire coacti, ad iniquam pugnandi condicionem adducantur. Quantu[m] autem imperatoris solertia providentiaque in hac re fieri debat, exemplo est C. Cæsar, quem ceteris Romanorum imperatoribus præferendum censeo. Is omni devicta Gallia, quu[m] à tot hominu[m] millibus oppugnari suos quādoque animadverteret, & quum resisti,

sisti, tum etiam quādoque cædi vidisset; num quam exercitum suum moveri possit, quin prius magnam frumenti copiam comparasset, ne invitus ad pugnam cogi posset. Castra igitur collocanda sunt, quanto commodius fieri poterit, ubi aquatio propinquia sit, nec pabulatio deficit, lignorumque copia. Et, si necessitas non cogat, ubi aëris intemperie milites offendì nequeant: ut corpora ipsorum ægritudinibus morbisve quām minimum lœdantur. quod quidem malorum aquarum vitio sèpius accidit. Unde sequi necesse est, ut morbis correpti milites, à pugnis abstinere cogantur. Male enim actum cum ijs erit si quum pugnare contigerit, ægritudine detineantur. Animadvertendum etiam imperatori, ne locū castris eum deligat, qui hostibus, si fortè illi alium occuparent, subiectus esse posset. ut quum vicinus mōs altior offertur. Nam ex superioribus misera locis tela magis offendunt lœduntque. Evenit hoc Herculi Estensi Florentinorum Imperatori, qui quum in Hetruria munitis castris in imperiali monte confidisse: Hadriensium Ducis Iulij Aqui-

vivi, patris nostri consilio, Alfonsus Calabriæ Dux, cum Federico Vrbinatū ducē, copias suas, q̄ amplius viginti passuum millia ab hostiū copijs abfuerant, nocturno itinere, hostibusq; nescientibus, prope ipsorum castra admovit. Quumq; Alphōfini pedites ex altiori mōtis loco fēse hostes adgressuros ostenderēt, quid inde facilis tela in hostes mitti poterāt: à latere cū equitibus Iulius pater hostiliū castrorū portas eo adgressus est animo; ut prius intra ipsa pugnari castra Florentini milites senicerint, quā suas cohortes explicare possent. Quo factum est, ut dū acrius à nostris pugnaretur, terga hostes dare coacti sint: cosquie Iulius acerrimè insequens, pluribus in facie acceptis vulneribus, victoriā est adsequutus. descendētibusque de superiori monte, qui cū Alfonso & Federico erāt, militibus; & utrā Iulius pater castra ingressus erat, in sequentibus: cum ingēti gloria nostri castris hostium potiti sunt. Quare facile cognosci potest imperatori cavendum, ut ubi castram etandum putaverit, altior locus offendere nequeat. nam aquarum etiam torrebus inundari possent, unde

fine

sine ordine discedendum esset. Signa attēm vexillaye in medio castrorum, loco tutissimo, ante imperatoris tentoria, collocanda sunt, quibus quidem tanta prēstanta est reverentia, ut si quis sub signis commilitonem ferire præsumperit, capite puniendus censeatur.

Q V E M A D M O D U M S E D I T I O-  
nest tollendae sunt.

Solent sēpenumero in castris tumulatus exoriri, ex quibus seditiones proveniunt quam sēpissimē; q̄ & tristitiae militib⁹, & hostib⁹ victoriā pariunt. Quamobrē ea perscribere nō prētermittimus, de quibus seditiones evenire solent, ut apud Aristotelem legimus. Sunt enim honor, lucrum, atque his contraria, damnū & dedecus, contumelia, metus, incrementi excessus, pudor, contemptus, negligētia, pusillanimitas, imparitas, & corrum, qui prēcipiunt, superbia & avaritia. Nam hæc duo contra imperatorē milites provocant. Solet etiā fieri, ut qui pœnas formidant, ob maleficia cōmissa, seditionis officiātur. Quod ut evitari posit,

imperatorū prudentia statim dissolven-  
dæ seditiones sunt, à principijsque caven-  
dum, quum principium totius dimidiū  
sit; atque ita instruendus exercitus ab i-  
psō est, ut ab omni prorūs seditione ab-  
stineat: quę profecto plurimum ex otio  
lasciviaque militum exoriri solet, qui dū  
in suis tabernaculis lautē otioseque vi-  
vunt, ludis lasciviæque intēti, verborum  
quandoque obscoenitate impulsi, ad ar-  
ma in suos concitantur. Sæpius autem  
in castris videmus exortam militum se-  
ditionē, hostium adventu sedari, tumul-  
tuarieque certamen iniri, ac vehemen-  
ter trepidasse multos cōspeximus. Qua-  
re seditiosi homines à castris removen-  
di, vel saltem peragendorum operū aut  
negotorum specie aliquò ablegandi e-  
runt. *Quod si honestè fieri non poterit,*  
in ipsos potius seditionis autores, ut ad  
paucos pœna perveniat, vindicari; quām  
paucorum culpa exercitum omnem pe-  
rīclitari oportet. Exemplo erit Africanus  
Scipio, quem veluti præclarę virtutis i-  
maginem, imperatoribus atque ducibus  
universis imitādum existimo. Is sedito-  
nis tātūm autores, apud Sucronem ex-  
ortæ,

orta, non autem exercitum omnem pu-  
niendum censuit. Et ut illos tantū ad  
palum deligari, ac securi percuti iussit: i-  
ta exercitū reliquum, quāmvis ad Vm-  
britum Atium, & Calerium Albium im-  
perium detulerat, longa vehementiā  
oratione castigavit; ut ad paticos pœnas,  
ad multos autem exemplum perveni-  
ret. Quamobrem in eos, à quibus orta  
tumultuum initia sunt, animadverten-  
dunt: reliquis verò ignoscendum impe-  
rator existimet.

Q V I D I N C A S T R I S F A C I E N-  
dum fit.

D Ebet imperatorem nō solum opti-  
mè scire castramētari, verum etiam  
talem in castris se militibus exhibere, ut  
ipsius exemplo ad omnia, quae usui vide-  
buntur, milites addicantur. idem non in  
datida solum, sed etiam in observanda  
exsequēdaque militari disciplina prom-  
tiorem ostendere se debet. Militibus  
parcissimè commicatum è castris dare  
convenit, ubi maximè privato opere, pi-  
scatione, venationeve milites utantur.  
Nam in disciplina sua arbitrabatur Au-

gustus,militibus non esse permittēdum, ut aliquo negotio non sint occupati; ne pro meo vel tuo dissensiones oriantur, ubi modus servari non potuerit. Quare tales tribuni ab imperatore sunt eligen-di, qui milites in castris continere, & ad agendarū rerum exercitationem perdu-cere valeant. exercitata enim corpora, ubi laborādum fuerit, minus à viribus de-stituuntur: quæ augeri ipsa exercitatio-ne solent, quam quidem & ad laborum tolerantia, & ad militum sanitatē vehe-menter cōducere putamus. Per noctem vigilias obeant, maximè quæ intra vallū habentur. interdiu vero equites, qui pro castrorum custodia ponuntur, alij mane, alij post meridiem, propter hominum e-quorūque; fatigationē, tribunorū ordi-natione mutandi sunt. Idem mensurarū fraudem correacāt, commilitonū quere-las audiant, valetudinarios inspiciāt. Ta-lies autē cohortiū praefecti eligendi sunt, ut si quādoque; in consiliū ab imperatore arcessiti fuerint, optimè de peragendis rebus consulere possint. Et quoniam le-gati ac tribunorū officium est, ad impe-ratoris omnia prae*scriptū* agere; impera-toris

toris autē liberè ad summā rerum con-sulere: omnia planè imperatoris prae-scripta servanda erunt. Neque enim inter-est militis scire, quale sit, quod impera-tor iusserit: sed illud capessere, atque im-plere. Castrorum motus, quò magis fieri-poterit, occultādus esse videtur. Tuttissi-mum etenim in expeditionibus creditur, quando castra movenda sint, ignorari: ne ab exploratoribus, qui quā sæpissimè intra ipsa commorantur castra, hostibus nuntiari res queat; unde forsitan exer-citus insidijs circumveniri posset. Securius enim, ut Vegetius ait, progredi milites poterunt, quum ab hostibus ipsorum i-ter, ac quid agendum sit, ignorabitur.

Q V O M O D O A C I E S I N S T R V A N-tur, quid etiam in pugna sit agendum.

**Q**uum autem moveri castra iusserit imperator, tuba signum dabitur, ut equitum turmæ, peditū acies instrui, militesque; prefectos suos sub*c*equi possint. Nā cautissimi ducis est, militarisque; dis-ci-pline ob'ervatissimi, providere semper, or-dines ne confundantur, etiam si longissi-mè hostis aberit; ne quis casus aliquādo

imparatum offendat. Primū igitur e-  
quites expediti progrediantur, à quibus  
& viarum angustiæ, & nemora silvæque  
perlustrētur; ne quid per insidias in ipso  
itinere pati exercitus possit: explorēntq;  
ne inter viarum amfractus aliquæ cava-  
rupes intresint, quibus hostium equites  
peditesve in insidijs lateāt. Si autē hostes  
adpropinquare imperator intellexerit,  
considerandum est, utrum peditibus, an  
equitibus plus exercitus valeat. Nam si  
plus equitatu valebit, in campos plani-  
ciemque pro viribus descendendum e-  
rit: si autem peditibus abundabit, angu-  
sta fossis loca, vepribus arboribusque im-  
pedita, si facultas dabitur, erunt eligen-  
da, in quibus pugna committatur. At ve-  
rò si ad phalangis cuneive formam pe-  
ditatus, quod tempestate nostra fieri so-  
let, instructus procedat; ita ut hastatis cir-  
cumducta sagittariorum sit multitudo,  
à qua tuto in hostes tela mittātur: quod  
ita densatis peditum ordinibus, instru-  
cta que lancearum serie, qua equitibus  
hostium in ipsos peditum ordines pene-  
trandi & ingrediēdi facultas adimitur, &  
quis resisti omnino potest: (securius autē

pu-

gna committitur, quum quamplurimū  
hostibus officere conamur) planiciem  
profecto ab imperatore, quo magis fieri  
potest, eligēdam putamus; ne præcertim  
arborum densitate peditum acies instru-  
cta seriesque perturbetur. In primis ta-  
men levis armaturæ equites progrediā-  
tur. Postea delectæ cohortes cum præfe-  
ctis singulæ à lateribus procedant, om-  
nisq; generis tormenta, quæ haberi pos-  
sunt, ante ipsas collocentur. Signa verò,  
vexillave, in medio militum agmine ro-  
boreque procedant. Nam sicuti voce fo-  
la regi multitudo non potest, ita quod  
solus imperator utile ex sententia sua iu-  
dicat, totus per signa adgnoscit exerci-  
tus, & sequitur. Postremò à reliqua militum  
multitudine totum agmen exerci-  
tusq; claudatur. Impedimenta cum calo-  
nibus & pueris, currusque, ad militum  
exemplum, sub quibusdam signis, ne pu-  
gnam impedianc, in latere, quò hostibus  
difficilis transitus esse possit, cum aliqua  
militum cohorte, quæ ipsis custodiæ sit,  
collocari poterunt. Hoc enim ordine  
incedendum est, si vistoriam, quum pu-  
gnare contigerit, imperator adipisci vo-

i 3

Iuerit. Optimum tamē esset prius,quām exercitus iter facere incipiat, per exploratores hostium ad pugnam adventum ab imperatore intelligi: ut & cuncta ordine disponat,& militum ad pugnam animos sua oratione accendat, quō alacrius pugnēt. Itidem postea suos milites adhortetur,pugnantibus suis subveniat, ac strenui militis pariter,imperatorisque optimi officio fungatur, si maximē collatis signis milites suos vulneribus fatigatos confectosque adspexerit. Militibus etiam nominatim adpellatis, victoriam ē manibus hostium exorqueat,victoriq; gloria potiatur. Conatus es tu, mi frater, id facere in eo certamine, quod unā cū Hispanis, Gallici belli tempore suscepit fuit. potius enim mori velle, quām ē pugna turpiter discedere cōtendisti, modō hos,modō illos nominatim adpellando, & ne turpi fuga vitam dehonestarent, obtestando. Sed quum id adsequi nequiviles,ac præ timore ceteri omnes terga dedissent: tu tamē fortissimē solus dimicando, pluribus adverso pectora vulneribus acceptis,& cruribus equo præcisis, apeditum multitudine tandem captus

es;

es:memor illius Homerici, decorum esse,homines in pugna fortiter occumbe-re,ferroq; iacere. At verò si fato retrocedendum aliquando sit, non similis fugae profectio videatur;omniaq; prius imperatori experiunda, quām ē prælio discedat:ut omnium confessione laudandus potius,quām reprehendēdus esse videatur. Id Hannibal in extremo illo prælio fecit, quod cum Scipione conseruit; ut posteris exemplū de se relinqueret, prius quam ē proelio excedatur, omnia tētanda esse,nihilque prætermittēdum, si modo quis reprehensione carere voluerit. Quamvis enim səpē militum virtus imperatorum laudi adscribatur, səpius tamē ipsorum inobedientia , vel aliud, quodcumq; sit, peccatum ducibus ignominiam parit. Quare imperatori opera danda est, ut quæ agenda, quæve nō agēda sint ab exercitu,diligenter prævideat: ad ipsumq; potius periculorū circumspicientiam,quām ad milites pertinere, existimet. Nam sicuti miles, si cepta pugna periculorum contemptor non fuerit, fortis nullo modo dicetur: ita quoque si.dux, aut exercitus imperator, quæ in

i 4

prælio evenire queant, non præviderit; temeritatis aut ignaviæ nomine accusari poterit.

*Q V I D V I C T O R E M D E C E A T  
Imperatorem, quid victum.*

**E**T quoniam eventus belli varios es-  
se,dicrum singulorum exemplis vi-  
demus,quum nusquam minus,quam in  
bello, eventus respondeat: quid victum;  
quid etiam victorem deceat, ut à cunctis  
merito commendetur, indicandum ar-  
bitror. Quippe ob victoriam efferri non  
debet, qui se hominem esse meminerit;  
quum fortunæ casibus quilibet subiectus  
sit. Multa iam exempla sunt, quibus for-  
tuna vicissitudo comprobari posset. Sed  
ne modum excedere videamus, paucis  
recentioribus, quæ ad rem pertinere vi-  
dentur, utemur. Nemo quidem est, qui ne-  
sciat, Calabriæ Ducem Alphonsum tan-  
tum sibi gloriæ vindicasse; ut quocumque  
cum militibus suis proficiscendum cen-  
seret, Ferdinando Siciliæ regi, patri suo  
ceterisque certissimam victoriam spem,  
præberet: quum ea uti in bello fortuna  
soleret, coque animo ac viribus, ut num-  
quam

quam de ipsius virtute desperandum ho-  
mines arbitrarentur. Ut autem eventus  
fortunæ varij nobis, qui nunc sumus, ho-  
minibus clarus innotesceret; patre mor-  
tuо rex creatus est. ac paulo post militi-  
bus fortissimis, munitissimis arcibus, re-  
gnoque cessit. Ludovicus Gallorum rex,  
qui tot victorias de Julio secundo, Pon-  
tifice maximo, deque Venetis & Hispa-  
nis in Galliam ex Italia reportarat, quū  
adeo victoria insolecerent Galli, ut ne  
pueris quidem virginibusque, immo nec  
sacris parcendum audibus existimarent;  
paucis post ingentem illam in agro Ra-  
vennate partam victoriam diebus inter-  
positis, Italia omni cedere coactus est. Et  
ne historiam scribere videamus, præter-  
mitto quemadmodum Raymundus Car-  
dona, cuius imperio Aragoni regis no-  
stri milites subsunt, quum in ipso prælio  
nostrorum inobedientia præfectorum  
militum, Gallis cessisset; paucis post die-  
bus sua ipsius industria, regisque nostri  
auspicijs, ac Pontificis Max. conatu pru-  
dētiaque illos, qui de Hispanis se trium-  
phaturos crediderant, apud Brixium ob-  
sederit; & post paucos menses in deditio-

nem venire coegerit, & ijs quidem condicionibus; ut dedita Italiæ omnis munitissima Vrbe Brixia, quæ regionis illius arx & armamentarium esse dicitur; in qua omnis etiam adparatus belli, ac omnis generis tormenta aderant, in Galliam se se reciperent. Franciscus Gallorum rex, qui Ludovico successit in regnum, quū Gallos Italia omni paucis antè annis expulsos conspicere, maximum in Gallia exercitum comparavit, superatisque alpium iugis, ac multis partim opidis in descēsu alpium in ditionem acceptis, partim verò vi captis: in conspectu tandem hostiū, prope Mediolanensiū urbē, ubi amplius triginta Helvetiorū millia aderāt, castra posuit. Quod postquā Helvetij cognovere, prælium parare, atque manum cum hostibus conserere statuerunt. quippe qui nunquam antea hostibus cedere soliti erant, victoriam omnino sc adsequuturos crediderant.

Quare magno impetu Gallos invadentes, primam ac secundam Gallorum aciem trepidare compulerunt, eorumque parte tormentorum vi capta, multis hominum millibus cæsis fugatisque,

ad

ad regiam cohortem pervenere. Quam dum urgeri ab hostibus rex animadverteret; cohortatus suos ut in eius conspectu victoriam ex hostium manibus eriperent, & equo innexus, ea vi animi, eoq; impetu in hostem insilij: ut sequentibus alijs, strenuè fortiterque pugnans, hostes, qui numquam antea vinci soliti fuerant, terga dare coegerit. Quos Albianus, Venetorū imperator cum suis etiam à latere adgressus est, ac multis undiq; Helvetiorū ita cæsis trucidatisq; ut non amplius decē hominū millia ex tanta multitudine superessent; cum ingenti tamdē gloria Gallorum rex paucis post diebus Mediolanensiū urbe potitus est. Cæsar, ut antiquiora repetantur, quū Nervios superavit domuitque, plurimum laudis adeptus est; quum victos supplices, qui maximo Romanorum periculo copias adduxerant, propè ut de exercitus salute desperandum videbatur, confecto prælio superstites misericordia motus diligentissimè servavit, suis opidis uti, suosque omnes ab eorum iniurijs abstinere iussit. Scribit Cicero, eos qui armis positis ad im-

peratorum fidem confugerant, quamvis murū etiam aries percussisset, receptos à Romanis esse. Eos etiam, qui nationes bello vietas receperissent, earum effectos fuisse patronos. Tantum ex mansuetudine decoris adsequi se credebant. quid enim laudabilius, quidve honorificentius homini accidere potest, quam si dēvictis hostibus clementia utatur? Porro senatus populoque Romano non minus gloriæ clementia peperit, quam tot de Pœnissimis victoriæ: à quibus quum ad internicionem usque Romanum nomen deducuntur, et inclinatis eorum ad pacem animis, quum ad senatum ab ipsis legati mitterentur, tali erga eos misericordia senatus est usus; ut & Carthaginensibus parcendum, et qui in urbe Roma captivi detinerentur, sine ullo pretio Carthaginem remittendos decreverit. Nam meminisse videbatur, plus parcendo viatis, quam vincendo, Romanum imperium auctum esse. In secundis enim rebus, & adversis, recte consulere; prudentium esse virorum existimabant. Clades Cannæfis, ut Livius ait, Varronē consulem non deter-

deterruit, quò minus exercitus reliquias colligeret, nec animo frangi ullo modo visus est. Collega consule, totque hominum millibus occidione occisis, quinq; Romanis imperatoribus, totque consularibus exercitibus fuis fugatis, tot Italæ populis, Capuaq; in primis, quæ post adflictam rem Romanam caput Italæ dici poterat, ad Hannibalem ac Poenos deficientibus, quum magno animo Urbem Varro ingressus esset: gratiæ etiam ei à Romanis actæ sunt, quòd de republica non desperasset. Accedit ad hæc illa divina Pyrrhi sententia, non efferriri parta victoria imperatoris animum debere; quam Cicero resert. Quorum enim virtuti bellî fortuna pepercisset, eorumq; libertati parcendum existimabat. Quam obrem illos laudandos arbitror, qui nec insolescere victoria elati, nec si prælio vieti sint, frangi animis ac mollescere videntur. Semper memoria tenendum, res humanas ita comparatas esse, ut in victoria gloriari, in adversis rebus tristari homines minimè debeant. Cadentium virtutem, magnam reverentia partem habere: contrà verò, fortunatam ignaviam

vituperatione non carere.

### Q V I D M I L I T E S D E C E A T .

**S**ciphi simus brevius, quam tantæ rei materia postulat, quid imperatorem ducemve deceat. Nunc pauca quædam, in quibus etiam milites deficere videntur, indicanda sunt. Itaque militum duo sunt genera. unum equites, alterum pedites adpellamus. quorum in primis utrumque robustum strenuum, ac imperatoris præfectorumque suorum dicto audientis esse debet; ut omnia, quæ precepita fuerint, diligentissime peragat. Pessimum enim in proelijs est, imperatorem vereri, si quid præcipiat, an id milites sint exsequituri. Quanta autem severitate animadvertis in eos beat, qui imperij contemptores sunt, quum alia permulta, tum hoc in primis docere nos potest, quod Aulus Manlius Torquatus filium, quamquam victorem, tamen quia contra imperium suum in hoste pugnasset, securi percuti iussit. Quid enim aliud Romanos tot exercitum victores, tot nationum dominos fecit; quam exercitatus, & dicto præcipue parens miles?

cuius

### D E R E M I L I T . 143

cuius pugnacitas si obœdientia caruerit, temeritas quædam erit. quæ si in omni vita genere periculosa habetur, in bello sanè periculosisima est. Quare Romanorum legibus cautum est, ut contumaces capitali poena, militibus exceptis, non puniantur. Tanti enim militum in obœdientiam fieri debere existimaverunt, ut morte etiam plectendos dicto non audientes milites censuerint. Equites vero suorum etiam equorum non minus, quam propriæ salutis curam habere debent. quippe malè se dimicaturos cum hostibus existimant, si ipsorum negligentia equi malè tractentur. Quod si in certam aliquando non descenderint, imaginariam tam equitando pugnam exercant, ne pigrescere segnioresq; fieri consuelcant. Pedites autem ad omnia, que in castris facienda videbuntur, promtiores sint: ut exercitati, postea & in itineribus, & in pugna minus laboris sentiant. Stipendium vero, quod ab imperatore persolutum numeratumque fuerit, non nisi pro viatu & alimentis, ac profice armantis expendant: & turpissimum esse existimant, pecunia stipendioq; ita

malè uti, ut ad vendenda demum armare cogantur, si socijs suis pecunias furto subtrahere nolint. quæ ex re sæpenumero fit, ut ea adficiantur pœnia, quæ non modò ipsis vitam turpiter adimiatis: sed etiam ipsi militiæ dedecus adserat. Militis igitur officium erit, procedere, adoriri, ferire, sistere, regredi, aliaque pro ducis imperio agere, ac præfectorum dictis obœdire. Perniciosa namque militis pugnacitas erit, si ubi pes referendus est, & tuba receptui canit, acrior tunc in hostes feratur: aut ubi iuslîs in aciem cōfertissimam semet inferre, pedem statim referat. Quæ igitur militis sint partes, quæ ducis; quod equitum, quod peditum sit officium, diximus. Experientia tamen omnia melius docet. Neque enim voce, aut librorum copia; sed militiæ exercitio, armorumque usu, quæ ipsis magis convenient, consequi milites rectius poterunt. Marius, qui tanta belli gloria flouruit, filium (ut apud Plutarchum legim<sup>9</sup>) senex instruens, imaginaria pugna utebatur; ut si ad vera certamina filius devinisset, audaciore animo cuncta gereret. Multa dici possent, in quibus tam tirrones,

rōnes, quām veterani milites delinquentur. Tamen ne longiores simus, dicendi finem faciemus. Si quis autem scire volet, quænam res sint, à quibus cavere militēm oportet, ne infamis habeat: is digestorum libros, ubi de militū delictis tractatur, legat. Nam ibi causas, ob quas infamia milites notantur, addiscet; & quæ cavenda sint, intelliget.

## B E L I S A R I I N E R I T L

N O R V M D V C I S D E R E  
M I L I T A R I L I B E R . II.

DE ALIO GENERE PVGNANDI,  
*& in quibus casibus singulare certamen permittatur.*

**D**E his, quæ ad publicam militiā, & ad imperatorem, militesquæ pertinere viderentur, haec tenus dictum sit. Nunc de reliqua disciplinæ militaris parte, dicendum est: ut si nobilium aliqui, militumve, hæc legere voluerint, quid in certamine singulari evenire soleat, à me prætermissum esse nō videatur. Et licet tam iure divino, quām hu-

mano; tam iure gentium, quam natura, non permittatur: (horret enim natura mortem, & in vita diutius permanere cupit) tamen quum à nobis famæ potius, ac gloriae, quam vitæ ratio habenda sit, quod prestat honestè mori, quam turpiter cum ignominia vivere: permitti singulare certamen poterit, & in duobus quidem casibus, secundum regni nostri constitutiones; atque etiam in alijs quibusdam, ubi Longobardorum consuetudo legum vice viget. Pluribus è contrario modis iniustum singulare certamen dici poterit, & ut reliquos prætermittamus, permittendū non erit, si quis iniustā causam fore velle videatur. Cōtrà verò singulare certamen permitti potest, si citis rei, quæ in dubium venit, veritas alio modo probari nequit. Nam si quis læse maiestatis criminе ab altero insimulatus fuerit, & qui insimulaverit, aliter probare non possit; armis cū accusato decernendum est, ari verum sit crimen. Itidem si cui obiciatur, quod patrē interemerit, quod duratibus induitijs aliquem interfecserit, & prostrata eius pudicitia fuerit, quique alienam uxorē in viri morte criminatus fuerit,

D E S I N G . C E R T A M . 147  
 fuerit, adulteram ve dixerit; ad singulare certamen compellari poterit: quum optimi sit militis, mulierum dignitati & horiori cōsulere, qua de causa Britannorum regem Arcturum maximā sibi laudem comparasse accepimus, quod etiā lege promulgata sanctum esse voluerit, ut essent qui Garreterā (sic enim vocāt) pro mulierum defenderida fama ferrēt. Et quod in ornandis cōfocijs iurecurando eos adstringere solitus fuisset, etiam posteri reges foedere quodā suos adstrinxunt, ut promittant, se pro mulierum fama defendenda semper fortissimè dimicatueros. Permittitur item singulare certamen, quinquis adulterij accusatur, quod alicuius uxorem turpiter cognoverit. Si cui furti crimē obiectum fuerit. Si quis non soluto debito, neget se quidquam alteri debere. Si quis uxorem suam adulteram dixerit, vel alicuius criminis eam pér suspicionem accusaverit. Qui iurisurandi religionem ruperit. Qui scriptum falsum fecerit. Qui falsum testimoniū dixerit. Qui depositam pecuniam negaverit. Si infra xxx annos male quis possedisse dicetur.

Si de incendio factō accusetur. Si filius patri debeat. Permitti demum singulare certamen de Italorum , Hispanorum , Gallorum, ac Germanorum more poterit, ubicumque alicui principi cum procerum, vel commilitonum consilio, tutandi honoris gratia visum fuerit.

IVSTAM E S S E D E B E R E P V G N A N .  
di causam, & quomodo quis ad singulare  
certamen provocetur.

Vsta pugnandi esse debet ratio, ut maiorum nostrorum exemplis saepius est comprobatum. namque Romanorum mos erat, ut si quando publicum alicui bellum esset indicendum, non temere, sed ex bonorum virorum sententia indiceretur. Deos autem immortales, ipsumque Iovem optimum maximum obtestabantur, ut quando iustū ipsi foyarent bellum, favere sibi eo in bello vellent. ac ne quid adversi accideret, orabant. Eventus enim belli, velut equus iudex, ubi plurimum iuris est, ibi victoriam concedit. Quare qui ad pugnam alterum invitare volet, aliqua lacesitus esse iniuria debet. Provocatio tamen ab eo, qui passus iniu-

iniuriam fuerit; nō autem ab eo, qui iniuriam intulerit, facienda est. Vtrum autem provocans dici possit is, à quo alteri pugna indicitur; an is, qui prius iniuriam fecerit; aliorum iudicio relinquamus. Aristotelis tamen sententia est, non illum incipere, qui faciat ex ira; sed qui provoca- caverit eum ad iram. Is igitur, cui illata iniuria esse videbitur, pro honore suo defendendo, vel iniuriæ propulsandę, vel alicuius alterius rei probandę causa illū ipsum, à quo iniuriam passus est, ad decertādum invitare cogitur. Quod si absens fuerit, per litteras, in quibus declarata contentionis causa fuerit, idem facere poterit. Ne qua verò fraus committi possit, (nam saepius alię pro alijs recitantur) neve quid vel addi, vel detrahi possit: duplex earum exemplum in eodem folio scribi oportebit, & in ipso me- dio intervallo A B C litterae, per quas se- ctio fiat, internotandę erunt; ut unum exemplum apud provocatorem remaneat, alterum ad provocatum mittatur. atque ut sine tabellarī periculo id fiat, fetialibus (qui nunc barbarè Haraldi, vel armorum reges vulgo nuncupantur) tra-

dendæ committendæque hinc inde litteræ erunt, ut fidelius omnia pertractentur, militumque dignitas conservari magis possit. Si autem is, qui iniuria lacesitus, provocatusq; est, chirothecā, (quod belli pignus dici solet) sanguineā maximē, acceperit: quamvis etiam litteræ nullæ præcesserint, pugnam provocatus renuere nullo modo debebit. Quin & provocatorem suum, si forte pugnam detrectaret, ad pugnam cogere poterit. At verò si ab ieiendum pignus putaverit, tunc provocator ipse vel ab incepto desistere, si volet, honestè poterit: vel per loca publica pugnam renuentis imaginem de pingendam curabit, ut ob eam infamia ille omnino decertare cogatur. Quod si nihilominus pugnam renuerit, procul dubio infamia notandus esse videbitur.

AB EO, QVI PROVOCATVS  
fit, iudicem, locum & arma eli-  
genda esse.

**S**imile civili iudicio dici potest certamen singulare, quum ex probate negantèque consistat. nam sicut iudicium tunc rectum dicitur, quum ex auctore, reo, & iudi-

DE SING. CERTAM. 151  
& iudice constat: ita etiam nō recte procederet pugna, quamvis armis decerneretur, si de pugnantium dubijs aliquis non iudicaret. Quare videndum est, an provocato iudicis electio danda sit, quū haud dubiè locum & arma cum eligere censeatur. Et quoniam certum est, leges & iura rationibus gubernari: mihi quidem videtur, & iudicis electionem provocato dandam. ne qua forte causa provocator cum iudicem eligat, qui merito suspectus, aut aliquo modo alteri esse infensus possit. ob hanç etiam causam armorum electio provocantibus est deneganda, quod talia eligi armorum genera possent, quæ ab altero ignorarētur, aut commode tractari non possent. Solum pugnandi tempus utriq; commune est. Nam si sex mensium spatio provocatus pugnam produxerit, & quod minus committeretur, causas adinvenerit: poterit & provocator eam sex alios mēses pro arbitrio suo producere. Quod si ne sic quidem terminari causa potuerit, tunc iudicis arbitrio remittenda est, ut quando ei videbitur, terminari pugna possit. Nec enim mirum videri debet,

si plura provocato concedantur, Provo-  
catus enim provocatorem vel invitum  
ad pugnam trahere potest. Et ut Federici  
secundi Romanorum imperatoris con-  
stitutione cautum est, antiquarum legū  
consilio, si quo corporis membro provo-  
catus ad pugnam destitutus mancuse  
sit, eodem & provocator carere, nec ullo  
modo in ipsa pugna uti debebit. Ac pe-  
des si fuerit provocatus, eques verò, qui  
provocaverit: ille hunc pedestri certami-  
ne ut secum decertet, compellere pote-  
rit. adeo potius qui in discrimen rapitur,  
quam qui rapit, favorabilior est: ut reo  
potius, quam actori, iura succurrunt.

## QVALIS DEBEAT ESSE IUDEX.

**D**ictum est, provocati, non provocan-  
tis esse, locum, arma, iudicem elige-  
re. Credibile est, si ad provocantem spe-  
ctaret iudicis electio, non alium sibi iudi-  
cem, quam amicum, vel qui suæ potius,  
quam alterius causæ faveret, (unde saepius  
homines ad provocationem ducerentur)  
electurum. atque ita leges admittunt ho-  
minum vitæ consulere, quū id provocā-  
ti non tribuatur. Quamobrem & is à  
provo-

provocato iudex eligendus est, qui refel-  
li prorsus à provocante nequeat, & qui  
iuris militaris peritissimus habeatur.  
Sed quoniam iuris civilis legibus mili-  
tare ius non subiicitur, (præcipit enim, ut  
quæ tibi profint, hosti nocitura sint, co-  
neris; optimosque milites semper id a-  
gere debere, quod hostibus officiat) iccir-  
co provocatum par est, quò magis fieri  
poterit, eligere iudicem, cui primum cō-  
fidere penitus possit. Nam si malè elege-  
rit, ab seipso deceptum se sciat. **Q**uis au-  
tem iudex eligi debebit? isne, qui absolu-  
ta; an qui regulata uti queat potestate,  
quum duplex esse dicatur? Mihi quidem  
videtur, si quispiam læsæ maiestatis cri-  
mī sit accusatus, ad eum spectare iudi-  
cium, qui provinciæ præsit, frustra enim  
leges volunt precibus implorari, quod à  
iure permittitur) deque criminibus rite  
iudicando cognoscere possit. Si verò mi-  
litibus singulari certamine sit depugnā-  
dum, multorum opinio est, ad equitum  
magistrum, exercitusve ducem iudicium  
pertinere. Sed quoniam in ipso certami-  
ne plurimos evenire casus non ignoramus,  
is pro iudice princeps eligatur, cui

dominij iure non subditus sit provocatus. De rege dubitatio omnis tollenda est, etiam si causa regis esset propria: quū alteri rex suomet nomine delegare causam possit. Studendum tamen in primis est, ne avariciae lucrove deditum principem quis eligat; sed disciplinæ militaris peritissimum, qui que suo, non alieno iure vivat; nec alij subiiciatur. Hic enim poterit & locum, si nō tutus esse videbitur, fide sua reddere tutiorem.

**Q**UOD NON OMNES PRINCIPES  
pugnandi facultatem dare possint. & quod principis  
iniussu miles pugnare non debeat.

**N**Eque verò alicui regis filio etiam primogenito, vicariove regio, si rex absit, permisum est pugnandi potestatem concedere: quum id munus ad liberum tātummodo principem spectet, quamquā nostra tempestate multi principum, qui sui omnino iuris non sunt, & alienæ potestati parent, contra facere, temereque securum decertaturis campū dare videantur: quum nec liberum principem deceat sine gravi aliqua causa id ipsum permettere. Ne quis autem in publico

blico etiam bello lacestus licere sibi pugnare sine principis atque imperatoris auctoritate adversus provocantem existimet; multa Romanorū exempla sunt. sed ne longiores simus, duo sufficere poterunt. Unum Quintij Crispini militis, quem quum Badius Campanus iniuria laceceret, ut si vir esset, cōgrederetur: tantum cunctatus moratusque est, dum imperatorem considereret; ne proprio cōsilio cum provocante congregari videtur. Alterum Titi Manlij, qui quū à Gallo provocaretur, dictatore adloquutus, inquit: In iussu tuo, imperator, extra ordinem numquā pugnaverim, non si certam victoriam videam. Si tu permittis, ibo provocatus; ut ex ea me familia ortū ostendam, quæ Gallorum agmē ex Tarpeia rupe deiecit. Quare non permittere principe ad singularem pugnam quis devenire non debet.

**D**E IUDICIS ELECTI OFFICIO,  
& quod iusfurgandum ab eo decertaturis  
dandum sit.

**D**Ebet autem princeps omni opera studioque conari, ne certamen fiat,

& ut sine discriminē controversia tollatur. Sed si hoc efficere non poterit; & de certandi potestatē dare coactus fuerit priusquam in harenam descendatur, debet ab ambobus iusurandum exigere, se non aliam ob causā pugnaturos, nisi ut veritas illucescat; nec ullo alio odio vel similitate, nisi sola honoris sui servandi ac tuendi gratia. quamquam nonnulli iusurandum ipsum provocati, non autem & provocato deferendum esse putarunt.

*AN QVISPIAM VIR NOBILIS CVM  
aliquo principe fit committendus.*

**M**ulta in utramque partem dici possent, an dignitatis gradus servandi sint. Inter aequales enim singularis pugna permitti solet. Verum enim verò duplex dignitas dici potest. Vna quidem propria, absolutave. altera impropria & regulata. Absoluta dignitas est, quā quis proprio fungitur officio. ut si dux, aut princeps, & huiusmodi homines liberi sint: quorum interest & leges condere, & quæ liberorum hominum sunt, exercere. Impropria verò & regulata dicitur, quum

quum quis dignitatis tantum nomen à regibus est adsequutus, alij tamē subest, cui parere penitus teneatur. Dux igitur, aut princeps quicumque, propriam dignitatem obtinens, si ab eo, qui alteri parent, provocetur; cogi ad pugnam nequaquam potest: quum tanta dignitatis inter eos dissimilitudo existimetur, ut in certamine æqualitas nullo modo serviari queat. Dux autem, & princeps, qui regis imperio subiectus est, atque in illis urbibus dominatur, ubi suprema causarum cognitio ad regē pertinet, non tantum ab eo, qui populum aliquem sibi subditum habet: verum etiam à quovis nobili antiquo, cuius & avorum & proavorum dignitas servata sit, atque honestis ipse qui moribus ac virtutibus polleat; (maxime si regi suo carus contubernialis fuerit) provocari ad pugnam poterit. Nihil enim in homine nec nobilitate dignius, nec virtute præstantius esse potest. Quare si pro honore, statuque suo servando, nobilis ille ducem aut principem provocaverit; si fortè provocationi illi reiecerint, infamia notandos esse censemus.

*QVI SINT II, QVI O B INFAMIA  
miam à certamine arceantur.*

**D**iximus eos, qui aliquo flagitio publico daminati sint, militum fungi munere nequaquam posse. Quod si maximè Romanorū hoc legibus comprobaretur, tamen quia patet aperte, quod eunq; delictum honores excludere, infamesque omnes à principis conspectu repellendos esse; quum eoram principe committi certamen debeat, videtur quoscumque iure vel facto infames, à nobili viro quocumque refelli posse. nam qui & vitæ, & morum turpitudine notantur, sicut in civili iudicio non admittuntur; ita etiam à singulari certamine sunt reiiciendi, quod inter pares, ut diximus, & coram principe committi solet. Quocirca fit, ut qui contra maiestatē, & contra proprium dominum crimen admitterit; qui seditiosus tumultuariusve miles, contra rem publicam steterit; exercitusve sui desertor, ad hostes defecerit; (nam hic in proditorum numero haberi, surcaque suspensi debet) qui questuaria mulieri inservierit, eamque pro sua custodiverit; qui cauponariam exercuerit;

rit;

rit; qui è militari sacramento discesserit; qui capite damnatus fuerit; qui pro exploratore missus, cum hostibus remanserit; qui quæ suo in exercitu fierent, hostibus renuntiaverit; qui in pœlio dimicantem dominum deseruerit; qui mercenarius colonus, villicusve fuerit; qui litis in foro vitandæ causa, in fraudem se militiæ dederit; deniq; qui quodcumq; crimen, quo capite, vel deportationis poena puniendus esset; perpetraverit; refelli meritò potest. Prætermitto ea, quæ Pontificij iuris sunt, quo iure singularis pugna nullo modo permittitur. Si quis tamē hærescos crimine accusetur, armis decerni posse conceditur; ne religionis infamia quis labefactari videatur. Hoc autem concludendum est, infamem aliquem nullo modo ad pugnam eum, qui sine labore sit, nobilē provocare posse: quoniam per infamiam nobilitas prorsus omnis deperdatur. Arbitror tamen, qui semel provocatus ad pugnā sit, refelli amplius à provocante nequaquam posse: quia perspicere debuerit, ante quam provocaret; an ille, qui provocādus erat, infamia notatus esset.

**A N E I V S , Q V I P R O V O C A T V S E S T ,**  
nomine quis alius decertare posse. qui si forte  
victus fuerit, an et is, qui bunc subroga-  
vit, victus dicatur.

**P**arem diximus esse debere pugnan-  
tium cōdicionem. Quia verò sāpius  
accidit, quod suprà diximus, ut poten-  
tiores à minus potentibus in certamen  
descendere cogantur, quod pro suo de-  
core illi detrectare nullo modo possunt:  
videndū erit, si ab ignobili nobilis, eques  
à pedite, à privato princeps ad pugnam  
trahatur, an illorum nomine subrogari  
alius possit. atque hic si victus sit, an is,  
qui eum subrogaverit, victus existimari  
debeat. Nec dubium, quin ab ignobiliori  
provocatus, alterum, qui suo nomine  
pugnet, substituere possit: non tamen, si  
nobiliar ipse, ignobiliorem provocarit.  
Nam, ut supra diximus, qui semel provo-  
catus est, refelli amplius à provocāte nō  
potest: quum semper is, qui alterum pro-  
vocaturus est, antequam provocet, eius,  
quem provocare velit, condicionem re-  
spicere debeat. Poterit autem unusquis-  
que provocatus alterum sibi subrogare;  
si quintum & vicesimum annum necdū  
atti-

**D E S I N G . C E R T A M . 161**

adtigerit, sexagesimūve excederit: quod  
alter imperfecta, alter vero imbecilla ni-  
mis aetate laborare existinetur. Item si à  
servo dominus in libertatem provocan-  
te invitetur, si factis quis intersit, si mu-  
lier adulterij, si servus absens furti crimi-  
ne accusetur, si testes sibi ipsis contrarij  
sint. Videnidum restat, si forte hic, qui al-  
terius nomine pugnaverit, devictus sit,  
an & alter ille, cuius vice pugnatum sit,  
in ea causa, pro qua certamen commis-  
sum fuit, succubuisse dicatur. Ego sic exi-  
stimo, quoniam optimum is vicarium  
elgere potuit; & qui per alterum facit,  
per ipsum facere videatur: si forte huc,  
qui subrogatus fuit, vincit contigerit; etiā  
eum, qui subrogaverit, victum videri.

**S I Q V I S E X T R A V A L L U M S T E-  
tisse visus fit, an pro victo sit habendus; & de non-  
nullis alijs casibus, qui venire in du-  
bium solent.**

**Q**uoniam autem in omni singulari  
certamine vel pugnantium pacto,  
vel principis edicto caveri solet, ne quis  
extra vallum pugnet; & qui sic pugnare  
visus sit, ut pro victo habeatur: queri fo-

let, si alterius quidem caput, alterius vero manus vel pedes extra septum ipsum deprehendantur; utri potius victoria tribuenda sit. Haud enim dubium est, quin si alter expulsus extra vallum sit, ipsum pro victo reputandum esse. nam conventiones ac pacta servanda sunt. & adversus principum edicta fieri nihil debet. Itaque si quis edicto parere noluerit, secundum eam peccatum, quae in ipso edicto continetur, puniendus est. Etenim voluntas tantum à lege respicitur; quum peccatum voluntarium sit. qua quidem ex causa sit, ut si quis hominem interficerit, idque casu eveniat, non capite puniendum imperfectorem leges censemant. Si autem pactum conventum intercesserit, quum liberavit hominū voluntas, pactum cōventum servari debebit. Quod si nulla pugnantis culpa eveniret, verbi gratia, si datus equus pro bono, vitiosus ac freno inobediens reperiatur, ut vallum transgredi necesse fuerit, atque id omnium iudicio cōprobetur: viētus profecto dici eques nō poterit. Quare ad pugnam iterum reducendus est. siquidē & lege cavetur, si ventorum impulsu navis ad portum delata sit, quod

fit, quō pervenientum nauta non putaverat; portorium fisco solvi non oportere. At vero si alterius viribus factum sit, ut extra loci limites, ubi pugnatur, alter expulsus sit; sine dubio qui sic expulsus est, quamvis statim perditum locum recuperaverit, atque intra vallum redierit, viētus intelligetur: quanquam alij aliter senserint, arbitratique sint, si maioribus viribus ille protinus adversarium reieciens, intra vallum resilierit, viētum dici nullo modo posse. nam de genere viētoriae, vim adpellari leges volunt. Quum autem caput ceteris membris tamquā civitati arx præsideat, si quo modo extra septum alterius impulsu stetisse visum fuerit, quum nobilior pars corporis sit, totum ipsum corpus ibi stetisse dicendum est. quare viētum censemus. Accidere quoque potest, ut ensis de provocantis manu subtractus sit, nec tamen à provocato, qui subtraxerat, alter vincī potuerit; quum tanta esset eius sollertia, tamque diti pugnæ laborem sustineret, ut ante nox veniret, certamenque dirimeret, (quia iure fit, ut

pugnæ finis ipso diei spatio terminetur) quam vel capi, vel ad deditioñ faciundam cogi posset. In dubium ergo venire solet, utrum hic, de cuius manu subtrahens ensis fuerit, tamquam decertator armis tantummodo spoliatus, an tamquā provocator, qui vel vincere, vel adversarium ab se provocatū capere debuisset, vīctus dici posse videatur? Evidem sic arbitror, si pactum cōventum inter eos, adsentiente principe, fuerit; causam ipsam morte, vel alterius confessione finiri oportere: provocantem ipsum pro victo declarandum. Contrà verò, si fortè provocator nec vincere, nec adversarium capere potuerit, sed tantummodo de manu eius gladium eripuerit; quando, quidem hoc futuræ victoriæ signum est, victoriam ei tribuendam omnino censemus. Plurima verò eiusmodi evenire solent, quæ singillatim à me perscribi nequeunt, ac potius ipsius iudicis prudètiæ sunt relinquenda, ideoque talis iudex est eligendus, qui omnium eventuum prudentissimus sit, & singula oculis diligentissimè intuēdo notare possit: quum multò plures casus quā leges reperiātur.

*AN LICEAT INTER PVGNANDVM  
causam mutare, semelq; vīctum aliquem  
alterum provocare.*

**S**i quis autem ad pugnæ locum accesserit, ac decertando cōtempletur, iniustum se causam fovere, dixeritque ex nova causa, aliave oblata iniuria se pugnare velle: quæsumus est, an id belli iure fieri queat. Ac responderi quidem sic poterit, si certamen incognita à principe causa nullo pacto permittendum est, immò quum cum, qui sic pugnaverit, capite plectendum esse leges centent: quanto magis si princeps pugnandi causam non audiverit, pugna sequi non potest? Quamobrem in ipso certamine si pugnæ causam à provocatore mutari contigeat, ea adficiendus poena esse videbitur, ac si numquam à principe decertandi potestatē accepisset, ac sine illius auctoritate in campum venisset. Accidit autem in Britannia, ut inter pugnandum provocato à provocatore alia inferretur iniuria. quæ verba quum provocatus arriperet, qui alioqui causam iniustum fovere videbatur, factum est, ut provocatus cum ingenti gloria vīctor evaderet. Sed

mihi non iure id factum esse videtur. si quidem à prima pugnandi causa discedere non amplius ei licebat; postquam tunc, quum debuerat, ante ipsam pugnā causā primum esse cedendū nō existimavit. Quæritur item, an is, qui in aliquo singulari certamine victus sit, provocare alterum ad pugnā possit? ego quidem sic arbitror, quandoquidem infamia notatus est, & è militiæ gradu reiciendus esse videtur, quia cōtra iusurandum, quod ante pugnam (ut supra diximus) à principe deferri solet, fecisse visus sit, unde & per iurus dici meritò possit: (nam & ab ipso principe quum victum eum esse declaratur, iniustam causam foviisse iudicatus est) nullo pacto ei concedendum, ut alterum ad pugnā provocare possit. Si tamē provocatus ab alio ipse sit, non dubiū est id, quod superius de nobili atq; ignobili milite dictū est, quin à certamine reici amplius nullo modo possit: quū provocatoris sit, antequā provocet, eius quem provocare voluerit, statum & conditionem diligenter inspicere.

A N

**A N I S, Q V I N O N D V B I A L A-**  
**cēsitus iniuria sit, meritò poſſit**  
**decertare.**

**E** Venit sæpenumero, ut qui verborū contumelia laceſitus est, eo ipso crimedine, quod ei subiectū est, aperte laborare credatur. Vidēdum ergo, num is provocare poſſit cum, à quo eam contumeliam acceperit? Heic variae sunt inter ciuilis ac militaris iuris consultos opinio-nes ac sententiæ. Nam alteri nullo modo permittendā eſſe hanc pugnam adſerūt, quod iniquū sit, de ea re, quę publicè nota sit, armis negādo decertare: quodque qui renā falsam & iniustā tuerit, victoriā adipisci nullo modo debeat, quū victoria semper divinitus procedere existimetur. Alteri verò contrā, permittendā eſſe prorsus adſeverant, quod minime deceat contumeliæ cauſa cuiquam illud obijcere, quod vel à natura, vel fato datum alicui sit. Verbi gratia, si quis vel strabo natus sit, vel aliqua ægritudine laboret, vel alterum oculum amicerit, vel crus, vel brachium, vel aliquod aliud membrum infirmum habuerit. nam & fortissimi duces, Pompeij magni

1 4

pater, Agesilaus Spartanus, Philippus Macedo, & Hannibal Carthaginiensis, cum magno decore talia passi fuerunt. Non dubitabo tamen & meam auctoritatem interponere. arbitror enim, quum præsertim de militari disciplina scribamus, militarem hanc sententiam potiorrem esse; ut eo modo lacesitus provocare conviciatorem suum ita denique possit, si dixerit, eum non recte fecisse, qui contumeliam intulerit, & abstinere maledicto non potuerit. Sic enim iustissimam causam fovere videbitur. Quæstum est etiam, mulier, quæ antea prostiterit, ac demum matrimonio iuncta sit alicui, cum viro que pudicè vivat, si meretrix appellata sit, an iuste defendi amis à viro, alij sive suis possit? Mihi quidè videtur, quoniam constet, meretricem dici non posse, quæ marito copulata sit, quæve pudicè vivat; & à viro posse, & à quocumque alio recte defendi. Eorum enim, que antea fuerunt, nec quidè nunc sunt, ratio habenda non est. Quare conviciator ab eo, qui cōyicum tulit, ad pugnam provocari poterit; & eiusmodi certamen à principe denegari non debebit.

F R A

FRATREM, QVI FORTÉ PVGNANTIS fratri adversus principis edictum aliquo verbo faverit, minime puniendum esse.

**Q**uantus autem mi frater, fraternus amor sit, vel ex hoc intelligi potest, quod in singulari certamine, antequam iniri pugna cepta sit, præconis voce palam edici solet, ne quis dum pugnatur, verbum ullum signumve faciat. qui fecerit, capitis poena multandum. Et tamē sèpissimè visum est, quod pugnantis aliquius frater in medio certamine se cōtinere non posset, quin contra principis edictum apertè fratri suo faveret, suaq; salutis oblitus, fraternam respiceret. Hoc ergo quum acciderit, frater, qui contra principis edictum fratri faverit, puniri nullo modo debet: quum naturali iure, quod potentissimum est, id facere cogatur. Tanta verò eius vis est, ut vel mutos ipsos loquentes facere possit. Crœsi filiū scribit, ut scis, Herodotus ita mutum fuī se: ut ne vocis quidem humanæ vestigium in eo adparceret. Et tamen quum pater prælio viētus esset, videretque filius hostem à tergo patrem sequi, & iam iam cum gladio instare metuens, ne pa-

15

ter occideretur,in hæc verba prorupit: O homo,noli Croesum interficere. Quare cognosci facile potest , quamdam inesse vim naturæ,ut aliter fieri nō possit, quin ab ipsa natura inviti etiam homines ad facienda quædam & ducantur,& impellantur. Quippe difficillimum est , si non etiam impossibile, aliquo modo naturæ ipsi repugnare. Quemadmodum autem bina singulis in corporibus membrâ ple raque artifex natura conformavit , oculos,manus,brachia,pedes, & huiusmodi, ut alterum ab altero iuvaretur , totique corpori rectius meliusque deservirent: ita plures etiam fratres gignere conata est,ut alter alteri auxilio esse possit . Si quis aliena potius, quâm sui fratri opera iuvari se posse dicat,dicet etiam , si altero pede truncatus sit, modò ligneum pedem addiderit,multo quidē commodius ac melius se ligneo pede uti , quâm suo usus antea fuisse. Quamobrem iure laudandam mulierculam illam censeo, quæ fratrem potius,quâm filium incolu mem sibi deprecata est: quum filios se habere alias multos,fratrem verò nullū alium sibi nasci posse videret . Sicut enim

D E S I N G . C E R T A M . 171  
 nim manus , si prorsus incisæ sint , haud amplius consolidari poterunt: ita etiam, si deperditus frater fuerit, recuperari amplius nullo modo potest. Et ut antiquissima repetatur,Pollux ipse Iovis,ut aiunt, filius præcipuos honores consequitus est,quod immortalitatem suam cum Castore fratre partiri voluerit: & potius cū fratre dimidiam , quâm solus integrum divinitatem retinere cupiverit. Quamquam ergo principum edito parèdum omnino est , nec fieri potest, quin dicto non parentes multandi acrius sint : at tamen ea in fraternam illam pietatem elementia princeps ipse uti debebit , ut multum de rigore remissum esse videatur. Ab ipsis siquidem legibus tantum naturæ tributum est , ut nullo pacto licere censeant,fratri fratrem, aut filio patrem accusare. Quinetiam si pater fugientem filium,qui capite puniri deberet , magistrati obtulerit: ne paterna pietas violari videatur,filium morte multari, non æquum censuerunt .

**A N C O N C E D E N D A D E C E R T A T I O**  
*fit, si verbis propulsata contumelia videatur: & quis  
 provocans, qui se provocatus sit  
 dicendus.*

**D**iximus in duobus tantum casibus per regiam legem permitti singulare certamen posse. Longobardorum tamen institutis, aliorumque populorum moribus, semper quodammodo permittitur: verumtamen quo magis fieri poterit, quum pugnantium vita in medio posita sit, admittuntur leges, nisi quum alter fieri non potest, pro decore servando, ut pugna nullo modo permittatur. Quamobrem si quis ab altero lacefisi iniuria videatur, quod fur proditorve sit adpellatus, aliove quo tali nomine; illumque mentiri respondeatur: honori penitus satisfecisse se sciat, nec decertando conetur iniuriam alio modo propulsare, immo potius illius, cui sic responsum est, intererit; ne labem contrahat, alterum per iniuriam ad pugnam provocando. Satis enim honori fecisse suo putandus est, qui simplici verbo alterius iniuriam propulsaverit, maximè si alterum mentitum esse, coram respōderit. nam alioqui dici

dici solet, epistolam non erubescere. Cavendum tamen est, ne qui hoc responso aliquem iniuria lacefiverit, verborum excessu alterum laedat: quum non propulsare tantum, verum etiam inferre iniuriam videatur. Vnde fit, ut iniustissimā causam fovere tandem existimetur. Nonnullorum autem opinio est, provocatum dici illum debere, cui responsum est, futurum ut iniuria illata fortasse debellatur. Verbi gratia, Dico te mentiri, si adseris eo nobilitatis genere te decorari, quo ipse decoror. Rursus responderet alter, Hoc quidem minimè à me ad certū est. At si dics, me non æquè ac te nobilē esse, mentiri te aio. Quæritur ergo, quis istorū provocatus dici meritò possit. Ego autem ita censco, quum negativa omnis non omnino probetur, qui alteri iniuriam intulit, quamvis etiam armis se obtulerit defensurum, provocantem esse dicendum: quum ob simplex hoc defensionis verbum censeri non debeat, ipsius arbitrio remittendum esse, ut provocati officium usurpet. Nam armorum electio ad provocatum spectat. Etenim, uti scripsimus, Aristoteles ait, non

illum incipere, qui tale quid facit ira; sed etim, qui provocavit ad iram, quem maximè verbis inconvenientibus usus esse videatur. Si autem res aliquando in dubium adeo veniret, ut nullo modo quis provocans sit, quis provocatus, discerni possit: Vlpiani iurisconsulti præstatiissimi opinio est, si ad iudicium de hac re ambo provocent, sorte discerni rem debere.

A N E I, Q VI VICTVS AVT CAPTI-  
VUS factus sit, turpis & in honesta præcipi à vi-  
ctore, suo domino, posint:

**S**uperius dictum est, nec victorem im-  
peratorem efferrri victoria, nec victum  
animò frangi oportere. Alterum enim  
superbiae, imprudentiaeque; alterum vili-  
tati timiditatique tribuendum. Quam-  
obrem definitum arbitror, an victor  
omnia, quæ ex animo sententiaque sua  
imperare victo proposuerit, vel belli iu-  
re, vel victoriae causa, facere debeat? quoniam  
multi sint, qui ita existiment, licere ijs,  
qui vicerint, omnia crudelitatis genera  
in victos exercere. quod captivorum  
condicio eadem sit, ac servorum; qui  
nec hominum quidem numero habeantur;

tur, & quidquid à domino ijs iniunctum  
præceptumque sit, facere cogatur. quod  
quidem ut forsitan iustum, ita etiam im-  
manissimum esse censemus. nam scele-  
stissima quæque, & homine indigna, à vi-  
ctoribus præcipienda nullo modo sunt:  
nec efferari adeo victoris animus debet,  
ut id licere sibi existimet, quod nec prin-  
cipibus quidem ipsis facere permissum  
est. Seneca quidem sententia est, non i-  
ta etiam in servos esse animadverten-  
dum, ut homines nos esse, obliti videa-  
mur, illosque non eodem frui cœlo, &  
quæ vivere, & quæ mori, & eisdem semini-  
bus ortos esse putemus. Victis igitur  
à victoribus id debere præcipi existi-  
mandum est, quod honestum sit, &  
quod necessariò hic imperare cum di-  
gnitate, alter exsequi videatur: ita  
ut præcipiendi asperitas omnino coer-  
ceatur. Quare obsequendum potius,  
quam serviendum victo esse arbitra-  
musr. Non enim victus nobilis à vi-  
ctore domino compelli potest, ut a-  
grum colat seratque, ut terram fodiat,  
ut pecora custodiat; ut servile opus,  
quod ei dedecori esse possit, faciat: &

si non fecerit, minimè fustibus facere compellatur qui mos barbarissimorum hominū est, & à nostris moribus abhorret. Porrò de multis patet legibus, nefas esse, homini hominē insidiari. & quamquam prīcis temporibus necis etiā potestas in servos à dominis haberetur, quum iure gentium id permissum esset; nostrorum tamen imperatorum decreto cautū est, ne crudeliter in eos animadveratur, nec ad impudicitiam compellantur. Etenim cognationem quamdam inter nos natura constituit, ut victorias, si progrediendum severius in vīctos censuerint, omni penitus laude carere existimentur. Quibus ex causis intelligēdū est, si nobilis, alijsve quis miles, aut etiā maiori præditus dignitate princeps ab aliquo vinceretur: eadem in eos uti auctoritate vīctorem posse, qua in subditos suos uti dominis permissum est. Nam sicut ad præstanda dominis obsequia iurisurandi fidei subditi adiguntur: ita etiam post adeptam vīctoriam eodem iure compelli vīctus à vīctore potest. Neq; enim is, qui in singulari pugna vīctus est, servi loco est reputandus, quum ad tur-

pia

inhonestaq; compelli non possit: puta, ut ad hostes unā profugiat, ut proditioni fareat, & huiusmodi. quum & naturali, & militari iure, quamvis variae multorum sententiæ sint, ita decernendum esse arbitrer, ut ab ipso vīctore adversus hostē suum, si vīctus, hoc est, moribundus in harēna relictus sit, minimè saeviatur, nec a-superioribus ei verbis insultetur. Si vero eum mori non contigerit, hoc est, si captivus tantummodo factus sit, ne nimia etiam adversus huac insolentia vīctor utatur. Magni quippe animi est, & eius, qui præter honorem cuncta despicit, & à maledictis atque convicijs omnibus abstinere, & devictis seque dedentibus parcere: quum nihil indignius sit, quām post acquisitam vīctoriā, quasi post obducentiam cicatricem vulnera refricare; nihilque dignius, quā clementia uti. Quare appositissime à Claudio dictū est,

*nam quā vincamur in omni  
Munere, sola deos æquat clementia nobis.*

Nicocreon, ut scis, quem Plutarchus in opusculo de virtute morali, quod tu de Græco latinum facis, cōmemorat; quamvis Philemonem iratus lacepsitusque fer-

reis cathenis constriētum, virgisque cæsum detinuissest, tamen lictori præcepit, ut remoto gladio, quem illius cervici adposuerat, in columem Philemonē servaret: ut vicisse tantūm velle, non in hostis graffari sanguinem Nicocreon videatur. Illud tamen dubium non est, si victus discedendi veniana à victore acceperit, fideiisque præstiterit, sc̄e, quum ille velit, reversurum; quin quotiens revocabitur, reverti ad eum debeat. nisi quum viator vel prodigionis, vel læsæ maiestatis reus factus fuerit. Ea enim est illorum criminum infamia, ut statim eos, qui notati sunt, omni penitus proprio privet iure. Si codeni tempore victum à domino suo vocari contingat, quò ab absente victori revocatur: domino potius, quam viatori parendum esse, leges censuere propterea, quòd regi dominoque suo prius, quam alteri, iure iurando devinctus fuerit; quòd ipsum & liberorum nomine præstari dominis solet. Itaque si dominus eius, qui captivus factus est, opera se uti velle dicat, præcipiatq; ne ad victoris arbitrium revertatur: excusari præcepto domini victus poterit. Si tamē eum

etūm dominus pugnare permisit, quoniā pugna victus est, nullus accedendi ad requirentem victorem excusationis locus relinquitur. Iuri etenim suo cessisse dominum dici potest.

S I Q V I S E X P V G N A T V R I S A D  
constitutum pugnæ locum non venerit, quid  
sit decernendum.

**S**i quis ad constitutum pugnæ locum die dicta non accesserit, quia vel morbo correptus, vel tempestatibus interclusus, fluminibusque deteritus, vel à domino magistratuque aliquo prohibitus venire non potuit: dubitate nonnulli solent, an eiusmodi excusatio sit admittenda. Mihi quidē videtur, quia vis omnis, omnis fortuitus casus, fatiq; necessitas, sub certam cadere rationem, & legibus humanis subijci non possunt; talem excusationem omnino admittendam esse. Si autem antē, quā decertetur, alter morte præventus fuerit, discerniq; nequeat, provocantis, an provocati iustior pugnā di causa fuerit: puto inspici oportere mortis genus. Ac si imminentे morbo vita cessisse videbitur, iudicandum id casu evenisse: quum vitam nostram mille

casibus cottidiè subiectam esse videamus. At verò si nullo imminente morbo, propemodum in ipso pugnæ termino alter moriatur: vel timiditatis indicium præmortuus erit, vel dei iudicio declaratam esse pugnam censemus. quippe qui sciamus, aliquot in Iapygia viros solo barbarorum adspectu exanimatos concidisse. Quamobrem si timiditate aliqua, deinceps optimi maximi iudicio, quo pugnandi causa declarari solet, alter decessisse videbitur: erit eius, qui ad pugnā superstes manerit, protestari; non accidisse culpa sua, quod iustiorcm causam suam dimicando probare non potuerit, quum dei iudicio mortem alteri evenisse constet. Tali etiam cautione apud principē uti poterit is, qui ad pugnæ locum acceperit, neque hostem sium aliqua iustiore causa impeditū adinvenierit: ne sibi ullo modo defuisse videatur.

FIDEM DATAM NVLLO PACTO  
*violandam esse.*

**F**idem semel datam nullo pacto violādam esse, omnes iam homines arbitrati sunt. idque ita esse, etiam antiquissimorum

morum exempla testātur. mortem enim potius oppetendā esse duxerūt, quā ut à fide data deficere aliquo pacto viderentur. Saguntinorū quidem, ut alia prætermittam, memorandum facinus declaravit, quantum sit fidei tribuēdum: qui ne datam Romanis fidem violasse viderentur, quum orator eis ab Hannibale missus esset, ut de civitate Carthaginēsibus dedenda cum ipsis ageret: argento aurōque omni in unum locum collato, in ignem potius ad id celerrimē factum seipso coniucere, quam à Romanorum fide deficere maluerunt. Marcum Regulum crudele exspectatumque suppliciū non detinuit, quin Carthaginem rediret, ne promissa fides violaretur: quum nullum, ut ait Cicero, vinculum iureiurando sit antiquius. Romanorum miles quidam, qui ad Hannibalem se redditū iureiurando promiserat, quum egressus castris, mox ad castra per occasionem rei relictæ reverteretur, atque ob id religione se exsolutum crederet, Romæ remanere conabatur. Id verò quū senatui relatum esset, comprehendendum & custodibus publicè datis ad Hannibalem

deducendum omnes censuerunt. Tanta apud eos fidei observatio, tantum iuricu rando tribui debere existimabat. Quam obrem poterit etiam militari iure decerni, si quis in singulari certamine alterius captivus factus sit, & à victore suo sub ea fide cōmeatū acceperit, ut quād documq; accersit⁹ fuerit, redeat: ad omnē victoris ut arbitriū hic necessariò revertatur. Videndum nunc restat, si fortè nobilis tantummodo, privatusq; miles, dū captivus sic abest, in aliquem publicū magistratū creatus, aut princeps effectus fuerit, an ut redeat ad victorē suum, compelli pos sit. Pleriq; iurisconsultorū arbitrati sunt non posse, pr̄escritim si exceptio illa facta nō fuerit, Nisi ad victorem accessus prohibebitur. Ego tamen sic arbitror, quum captivo principi grave aliquid in corp⁹ servitium iniungi, uti suprā dictū est, non debeat: pecunia redimi oportere. Illam autem pecuniam, si fortè prius, quā soluta sit, victorem ipsum, cui debebatur, perire contigerit: eius ipsius filio persol vendam esse iudicamus. Nam sicuti patris infamia, si victus sit, ita & gloria, si vi ctor evaserit, ad filiū pernenire debebit,

Et pa-

Et ut patris victoria filius gaudere, sic & infamia dolere consuevit.

*Q V I C A P T I V U S S E M E L D O N O D A t u s a l i c u i s i t , e u m a m p l u s r e p e t i n o n p o s s e .*

**S**olent sēpē numerō viētores viētū in singulari certamine suum hostem principi donare, & tamen illum pro captivo reputare: quod quidem iniquissimum videtur. Neque enim quod tui iuriis amplius nō sit, repete potes. Quod semel donatum sit, repetendum nō esse credimus. multa possent exempla colligi, sed unum illud narrabimus, quod in Transpadana regione nuper evenit. Vi tor quicmdā à se viētū & captivū dono Ferraricium duci dederat, & quium pecunia se iuvari à viēto peteret, negaret alter se quidquam illi debere, atque ille viētū instaret: tamdē insidijs à viēto circumvētus, & ferro necatus est. Quā obrem facile iudicari potest, q; iniuste pe titur, si non alio modo, aliquo tamē evē tu declarari. Videndū etiam est, an is, qui dono illum accepit, pro redēmitione pecuniam ab eo, qui dono datus est, petere possit: quū in victoris locum successisse

videatur. Respondendum arbitror, pecuniam ab eo peti nullo modo debere, quum semel gratis dono datus fuerit. Hominum autem mercaturas fieri, leges quammaxime vetant. Neque enim homo hominem vendere potest. Servos autem hominum numero habendos esse non placuit, atque ita tamquam belluae venundari possunt.

**S I C O N C V R R E N T E S E Q V I T E S V N O**  
*codemq; istumutuo ex equis ambo deiectisint, uter  
 eorum iudicandus sit vicit.*

**S**oleat autem saepius evenire, ut ex hastarum incursu mutuis ictibus in terram ambo deiiciantur. Vnde maxima quaestio oriri solet, uter ex eis vicit or iudicandus sit, provocansne, qui alterum se devictum promiserat, an provocatus: Evidet ita sentio, civile nos iudicium sequi debere. Quemadmodum enim in civilibus causis non probante causam suam actore, reus absolvitur; immo & ipse actor, qui male rem adtentavit, damnatur: sic & provocans, qui non modo non obtinuit, verum etiam dubiam victoriam reliquit, pro victo reputandus erit,

erit. Etenim reum non probante actore leges absolvit volunt; & in dubijs, actorē esse damnandum. nisi fortè simplex ad pugnam provocatio facta sit, his verbis; Est, non est. tunc enim redintegrādam esse pugnam censemus. Sed quum in omni re finis quam maximē considerandus sit, pricipue autem in p̄cilio, in quo saepissimē propriū fuere periculo, qui vicērunt: non debebit iudex antē certamen ipsum dirimere, quam decertandi finis factus sit. Saepius enim hoc evenisse vidimus, ut quos vicos iam esse crederes, vicitores tandem evaderent. Tam multi sunt militaris ac bellicae fortunae casus. quos omnes enumerare, prolixum fuerit. illud autem iterum iterumq; monebo, talem ab ipsis pugnantibus iudicem eligi debere, qui nullo animi affectu in alterutram partem propendeat, sed bellica tantummodo disciplina, atq; ipsa magistrā rerum experientia metiri eventus omnes, ac decernere valeat: quū in p̄cilio saepius evenire soleat, ut quos vicisse crederes, cū dictum est, vicitores tandem eventu quodam evasisse compertum sit. nam in pugna nihil tam est

leve, quod non magnè interdum rei mōmētum facere possit. quapropter ne amplius circa ea, quæ fortunæ casibus subiiciuntur, immorari videamur: dicimus tamen debere principem & iudicem à pugnantibus eligi, qui sine affectu aliquo eventus rerum decernere bellicæ artis disciplina, experientiaque, ac magistra rerum prudentia possit.

Satis haētenus à nobis de re militari dictum. quādoquidem multa præclarissimorum hominum ingenia, multos disciplinæ militaris peritissimos viros de hac eadem re scripturos arbitramur. qui bus ne scribendi materiam præripuisse videamur, finem heic faciendum cēsui: quum præsertim infiniti evenire casus possint, qui peritorum iudicio poterunt declarari. Nam ego ne ne prorsus torpesceret ingenium, exercitationis volui gratia hæc paucula litteris mandare. Poterunt autem ceteri & ingenij, & artis bellicæ disciplina præstantes viri, quod ipsis addendum videbitur, artificiosius addere. qua quidem re fieri, ut & illi maiorem ingenij laudem consequantur; & nos à nostra, maiorumque nostrorum disciplina discessisse minimè videamur.

A D

AD ILLVSTREM BELLARIUM Neritnorum Ducem, Antonius Galateus.

**N**E sis expers meorum scriptorum, illustris vir, saxe in libellis meis adpellaberis. quoniā temper solitus es meas esēe aliquid putare nugas. In presentia nihil occurrit, nisi ut sententiā meam de armorum litterarumq; & de contemplativæ & activæ vitæ dignitate, quā Brancatio nostro olim scripsit, tibi quoq; impartiar. Tu qui & arma, & litteras novisti, poteris melius aut laudare, aut refellere sententiā, ut qui utriusq; peritiam habes egregiam. Eum optimum iudicem putavit Aristoteles, qui carum rerum, de quibus iudicium ferre voluerit, cognitionē habet. eam ob rem existimo humanis in reb<sup>ta</sup> varias esse opiniones atq; sentētias, quod aut nemo, aut pauci admodū id, de quo indicat, satis cognoscunt. q̄ si huic malo accedat, ut q̄ quis nesciat, se scire pertinacissimè putet: tūc & pestilentissima species ignorantie oriatur, q̄ totum ferè orbē pervertit. Duplex ab Aristot. ponitur ignorātia. negationis altera dicitur, q̄ nō adeo prava est: altera, malæ dispositionis. hæc est, de qua nunc

loquor,hæc nos deteriores , hæc indociles & protervos facit.hæc peritiores contemnere,hæc nostra laudare,aliena despiciere.Secus tu,vir illustris & integer,& optimo atque humanissimo ingenio pre-dite.utramq; enim rem, de qua est quæstio,fatis cognoscis. litterarum enim ab incunte ætate studiosissimus , & amantissimus semper fuisti : atque eos , qui in aliqua doctrina præstare tibi visi sunt,maximo semper honore prosequutus es. In re bellica quantum valeas,omnes noverunt.In bello Gallico virum fortem semper egisti,Ferdinandum regem extrema per omnia,ut ait poëta,sequutus es. Vnde inter regni proceres magnam gloriæ es adeptus.Quapropter Ferdinando mortuo,Federicus rex te ob ingentia merita tua pulcherrimæ & celeberrimæ urbis Neriti titulo decoravit. In bello Veneto apud Salentinos pæne puer sub fratre tuo,qui ætate nostra & armorum & litterarum gloria pollet,militasti;atque ita te gessisti,ut facilè omnes cognoscerent,te nihil degenerasse à paterna atque avita virtute. Pater enim tuus,Iulius Dux,fortis & strenuus,& tam Italis quam barbaris

baris notissimus,omnes ætatis suæ duces armorum gloria superavit : gloriæ famique vitam honestissima morte insignivit,quando à tot Turcarum millibus circumseptus,pro Christo,pro quo suo regie,non procul ab Hydrunto fortissimè dimicans cæsus est. Quamobrem magnanimus ille heros,corporis & animi viribus insignis Christi martyr , & fratri tuo,animæ meæ domino,& tibi, totique familie vestre tam pulcherrimi facti perpetuam memoriam , omni auro,omnibusque gemmis pretiosiorem hereditatem reliquit.Transeco tuorum laudes inclytas.neq; enim hac de re nunc agitur. Hoc tamen ex his,quæ dixi,velim intelligas;quod sicut nihil lucri,ita nihil danni ex lata mea sententia reportabis.nam ex illa nec vicitor,nec victus eris.Si altera pars vicerit,necessæ est,ut in altera succubas,ut qui utriusq; simul es particeps. & quoniam ἀντιρεφον seu reciprocum est hoc argumentationis genus,concludendum ut libet.aut vicitor solùm aut victus eris:aut neque vicitor,neque victus:aut partim vicitor,partim victus. Securus igitur lege,& lauda sententiam,nec refel-

Ie.novi ingenium tuum.quoniam parvo labore, si velis, potes refellere. nam nihil est tam difficile, quin dicendo fiat probabile.& non nullā, ut ait Aristoteles, falsa sunt probabiliora veris, præcipue quum inter præclaras res est controversia, & multititudinem pro iudice habemus: cui sæpe divini poëtæ, ut ait Plato, sapientiae duces, nec non & rethores, populares sapientes, plerumq; serviunt. Vale felix.

## B E L I S A R I V S A Q V I V I V V S

*Neritiorum Dux, Galateo suo S.*

**Q**uod in libellis tuis me sæpitis appellare promittis, facies pro cōsuetudine tua, pro instituto, p tua in me benivolentia, memor Ciceroniani illius, amicitiā propinquitati semper esse præfrendā. nam ex propinquitate benivolentia tolli, ex amicitia autem nullo modo potest. Quod vero scribis, parvo labore, si velim, ex ingenij mei acumine de armorū litterarumve præstantia sententiā tuā refelli posse, eamque petis à me laudari: facerem, ni satis mili præiudicasse viderer, quum tanta sit auctoritas tua, tantus verborum ornatus, ac in scribendo senten-

## D E S I N G . C E R T A M . 191

sententiarum gravitas, ut contradicere Galateo non facilè quisquam possit. Ne tamen à nostra, nostrorumq; professione discedere videamus, (ignoscas rogo, si tibi aliquo modo morē non gessero) arma litteris pponenda esse cēsemus. Hoc enim uno præcipue argumēto cōiectari licet, tātò præstantiorē armorū dignitatē esse habendā, quātò maiori dignos laude, qui animi simul & corporis virib. pstant, quācos, qui tantū animo serviūt, existimamus. Censuit Aristot. circa difficilis artē & virtutē versari. Sed ne litterarum, neve armorū dignitati detrahamus, eum qui & arma, & litteras pāriter amplexatur, maiori dignum laudē iudicamus. Etenim accidere aliquando potest, ut vel præ morbis, vel senio, vel alijs animi perturbationibus arma tractari nequeant. Quare ad litteras recurrendū esse, quis neget? quando præsertim ad animi oblationem & ornamentum præcipue litteras plurimū facere videamus. Pro regendis enim civitatibus rebusq; publicis adeo magnificiēdas esse Plato cēsuit, ut beatas fore respubl. si reges philosophiæ yacarēt, vel philosophi

regnarent, sit arbitratus. Sic etiam de activæ & contemplativæ vitæ dignitate dicendum est, exemplo tui, vir optime, qui utramque simul exerces. quandoqui dem eæ sunt in exercenda medicina actiones tuæ, ad hominum salutē, ad morbos à corporibus hominum removendos; ut facile iudicari possit, ex hoc non parū te laudis indies adsequi. In contemplatione vero litterarum quis sis, scripta penitus tua ostendunt. Semper enim Aristotelis tui memor, qui ex altera Dijs similes nos effici censuit, alteram verò, qua societas hominum coniunctioque servatur, plurimum conferre humano generi existimat; utramque amplexaris. Quo fit, ut non utriusque modò participem te, verum etiam in utraque præstantem iudicemus. Optimum esse, atq; unicuique incundissimū Aristoteles putat, quod à mente proficiscitur: esseq; vicissim activam vitam, tamquam utilē & necessariam, omni iure ab omnibus laudandam. Quibus ex causis unicuiq; adnitendū est, ut & arma & litteras amplectatur ac veneretur: ut in altero quis deficere nullo modo videatur.

P E,

D E S I N G . C E R T A M . 193  
P E T R V S G R A V I N A I L.  
*Iustri Belisario Aquivivio Neritinorum*  
*Duci, & foris & domi præstantissimo,*  
*felicitatem optat.*

**E**Didisti in lucem felicissima fetura gemellos œconomicos, Peripatetica oriundos familia, illosq; Romanis oculis atque auribus donasti: qui quidem tametsi iā adolescentes, adeo simili sunt facie & venustate, ut nisi nascēdi ac procedendi ordine distincti essent, non sine difficultate prior genitus dignosceretur. eadem utriq; statura, eadē forma, par suavitas oris, par ingressus, idem adipicetus, idem vocis sonus, par denique cultus, & ornatus. Vbi primum vidi, & inspexi, exosculatus sum, ut quos animadvertebā generosæ stirpis alumnos esse, eodemque non modò multum nativę pulchritudinis, sed multum quoque gemmarum in fronte, & in pectore præ se ferre. adeoque illos præ gaudio & admiratione inconnivens intuebar, ut non potuerim prætentia voluptate satiari. Accedebat ad hæc morum concinnitas, & senilis quadam maturitas, quæ me avi-

n

dum, semperque aliquid novi exspectantem, dum loquerentur, detinebat. Quibus præceptis imbutos vidi? quibus instructos exemplis? quam breviter & dilucidè animorum sensa exprimunt? quam sine morositate quod proposuere, concludunt? quanta lenitas oris? quanta sermonis æqualitas? quam bene & honorificè de parentibus sentiunt? quam benignè, nec prudenter minus, cū servis conveniunt? ut non modò non corrigendi, quod tu mihi tuis ornatissimis litteris faciendum demandasti; sed tantum sapere videantur, ut instruere seniores possint. Tu vero, iilustris Dux, quando fratre tuum non modò in rei bellicę laudibus, sed etiā in rei litterarię gloria & sequebris, & æmularis, noli cessare, quum te ita fœcundum natura genererit, utriusque rei seminarium augere: utque poscentibus fatis consuevisti Martem ipsum strenuè sequi, ita ne pigeat Minervam quoque, quæ & ipsa galeata hastam vibrat, & ægida concutit, toto pectore, quod iam facis, feliciter amplecti & venerari.

Vale procerum decus.

P E

*Belisario Aquivivo Aragonio, Neritiorum Ducis, S. P. D.*

Perpetuista quidem querela est, atque Putinam non nimis iusta, generose Dux, litterarum & bonarum artium studia præter instituta maiorum ita esse à regibus ac principibus viris derelicta, ut quæ liberales olim sunt artes dictæ, nunc à senatoria illa sublimitate in vulgus atque in plebem defluxisse, ibique quasi in coeno atque in faxe quadam fordere videantur. Quodque longè etiam peius est, ubi potissimum illarum usus oportunus erat, ac necessarius, illinc eas eieetas esse, proculque exterminatas cernimus. Nam quales Plato populorum rectores velit, omnes ferè horunt. Felices tandem ille, ut nosti, populos putat, quibus à philosophia præcipue profecta gubernandi ratio contingat. Quod quum ita sit, difficile dictu est, quantum tibi, quantumq; Andreæ Matthæo Hadriensum Ducis, fratri tuo, nostra hęc omnino beatę etas: quæ vos duo præclara, tum in re militari, tum vero in litteris, exempla videmus, quæ

n 2

nobiles & optimates excitare ; atque ad tam honestam impellere imitationem possint. atque ut de fratre taceam, qui & maior te natu est, & ad fiduu magis litteras exercuit, in quibus, ut omittam bellicæ rei gloriam, quæ Aquivivæ familiae peculiaris iam pridem est habita, quantū ille profecerit, non nostri tantum homines, sed & exteræ quoque nationes norunt. Tu profectò ipse, postquam per varius fortunæ impetus, longamque illius iniuriam licuit, ita nuper te litterarum studijs, quas leviter olim puer ad tigeras, reddidisti; tantaq; in illas aviditate, tantoque ingenio incubuisti: ut vix credibile sit, tam exiguo temporis spatio, tam multa te scire, & mox scribere potuisse. quæ quidem non tironem ulla ex parte sapiunt, sed exercitatissimū, & (ut ille ait) donatum iam rude veteranum. Accedit ad doctrinam per acre iudicium tuum, quod ego vel in primis ex eo laudaverm, quod materiā tibi in scribendo cādelegaris, quæ te digna esset, quæq; proceribus ac summo loco natis conveniret. Habent iam perte, quod legitimare illi possint. Nam primū de illorum liberis

beris instituendis scribens, nihil deinde quod ad ipsorum dignitatem spectet, omisiisti : dum de oeconomica, de venatione, de aucupio, de re militari, deque singulari certamine ita omnino doctè exacteque disputas; ut, quod Plato cupiebat, aut moderatè populis philosophum, aut philosophantem principem in scriptis tuis videre liceat. quæ tametsi tua causa legi libenter, quum æquè in toga, atq; in armis meritam tibi gloriam surgere videam; legi vel ex hoc libentius, & temporibus gratulari nostris iure possum, quæ in pristinum revocari morem ceperint, & nostram quoq; video professionē ab humili loco ac fordibus in veterem dignitatem ac solitum decus vindicari. Vale.

C H R Y S O S T O M V S    C O -  
*lumnus ad lectorem.*

**P**ercurrens ego nuper, mi lector candissime, generosa hæc Belisarij Aquivivi Neritinorum Ducis de venatu & re militari opuscula, non potui primo adspectu nostrā litterarū vicē non gravi-

ter ingemiscere. quippe quum cogitarē ad paucos admodum claro natos loco regna, imperia, præfecturas, opes, omnia denique fortunæ munera esse delata: unam tantum litterarum eruditionem, tamquam nostræ humilitatis solamen, & honestamētum aliquod, intuebar nobis secundæ classis hominibus esse relietum, quo magna industria, laboribus, vigilij, &que parto, & natalium nostrorum obscuritatem sublustrare, & apud claros potentesque viros aliquam saltem nostri æstimationem excitare possemus. Id ego nunc æmulari nobis principes viros, & quodammodo è manibus rapere cognoscetam, quum lepidissimos hos Belisarij libellos legens, mecum pensabam, quanta ille prudentia, quantoque delectu primū materiam, ut ille inquit, viribus suis æquam, & dignitati congruā sumserit. deinde quòd eo stilo, tanta elegantiā & gravitate, tanta demum orationis maiestate, quæ sibi delegerat, explicarit; ut tum eximium scriptorē præstítisse adpareat, tum nobilissimo scribendi genere, nobilissimum familiæ suæ genus legētibus expresserit; immò seipsum

ante

ante oculos nostros pæne totum delineaverit. Hęc ego mecum reputans, ut iterum fatear, non poteram non iniquo animo ferre. Sed contrà, quum maturius reputasse, aut nullos, aut perquam paucos esse, in quibus vera virtutis cognitio sine litteris esse possit: mutato consilio, non dolendum nobis, sed gratulandum potius arbitrabar, quòd ij, qui populis præsunt, quorum ceteri mores imitantur, & à quibus ceu præscriptam vivendi formulam accipiunt, divinam virtutis vim atque decus per litteras adgnoscere & in studiosis eius actionibus versari videantur. nam si quales in republica principes sunt, tales & reliquos fore putat Cicero; quām præclaros, quām ad unguem factos nostris temporibus videbimus viros, si ij, qui populis imperant, & rerum habenas moderātur, hac eadem, qua hic noster, ad virtutem nitentur via? Nimirum aurea exspectanda sunt secula. nam qui seculis præsunt, vera seculis pariunt nomina. Quę quum ita sint, immortales Belisario æquè gratias ac laudes deberi puto, qui non turpi otio & desidiæ, non expilandis (ut plerique) populis, non con-

gerendis pecunijs deditus; sed disciplinę litterarum, & cumulandis animi thesauris insudans, qualem principem, quibusve artibus præditū esse oporteat, & nostrę tempestatis proceribus est exēplo, & posteris erit documento. tametsi hoc ipsum munus non modò ipsius ducis, sed totius etiam Aquęvivæ familiæ propriū est atque nativum, ut ex ea tamquam ex Aeacidarū genere, vel equo illo Troiano, soboles præclarissimæ indolis & rariſſimæ virtutis cottidiè prodeat. nam præter unum illum extra omnem comparationis aleam positum, Andræā Matthæum Hadriensium, & hunc ipsum Belisarium Neritinorum Ducem, multi etiam alij ex eadem familia, quasi ex quodam bonarum artium domicilio, caput inter ceteros exserūt altius: quorum laudibus in omni virtutū genere fit, ut non modò nostrorum nos temporum non possit pœnitere; verūm & hæc eadem cum priscis conferre minimè dubitem⁹. Gratulare igitur, lector iucundissime, tēporibus nostris; & in ea natales tuos incidisse, fac læteris: speraque posthac extalium principum provētu, omnium ordinum

dinum hominibus omnia indies fore lętiora: quum denique Belisarij Duci cādidissima tcripta legeris, tam ipum, quā ceteros Aquivivij nominis principes mecum ama & cole, Vale.

F I N I S.

## M I C H A E L I S M A R V L L I T A R C H A N I O T Ā

Byzantini poematum,

### D E P R I N C I P V M I N- S T I T U T I O N E.

**A**B Iove principium rursus cape carminis orsi  
Musæ. decet vatem nil non Iove ritè vocato  
soliri, & sanctum prefari in singula nomen.  
Prefertum regem egregium belliq; domiq;  
Dum damus, & primo paulatim aluminis ortu  
Crescentem, variis rerum formamus in usus:  
Experti, quanto imperia, & vis nescia recti  
Stent populis, casisq; animi ratione potentum.  
Tu modò, si meritæ Delphos tot facias silentes,  
Cortinamq; tuam, & sacrata recludimus antra,  
Adsis b Thymbrae favens pater, aviaq; ausis  
Pande novum nemus, & nulli sacra nota priorum.  
Primus ego veterum damnato more parentum  
Phæbo vettos culpavi in carmine lusus.

De hymnū suis loquitur.

Primus inexpertum mundi per inane vagatus  
 Perpetuam seriem tractus telluris ad ipsos  
 Ab Iove deduxi, servatoq; ordine rerum  
 Suspensi solidam natura ex are catenam.  
 Et nunc arma strepant duri licet undig. Martis,  
 Proq; levì dextram calamo gravis basta fatiget,  
 Et terat inclusum yatis caput ære a casis:  
 Non tamen Aonidum conceptus pectore cesit  
 Dulcis amor, iuvat irriguos accedere fontes  
 Rursus, & intacta crinem contexere lauro,  
 Inventumq; Deum, divini carminis usum,  
 Post superos ipsumq; lovem, post semina prima,  
 Dicendas meritò regum convertere in artes.  
 Mox tamen egregias virtutes, actaq; vestra  
 Exsequar, & latum effundam, vir magne per orbem.

Principio gravidam, cum primum menstrua sextū  
 Viderit, & pleno Phœbe radiaverit igni,  
 (Nam quæ deinde subit, vitali innocia partu,  
 Interdum numeri natura adiuta potentis)  
 Iam tum cura vigil caræ nutricis habendæ  
 Excitet, & quando illecebris luxuq; profano  
 Exuimus iam pridem animum, adfectusq; parentum,  
 Et pudet in dulces distendere pectora natos;  
 At saltē pretioq; dato, donisq; paranda  
 Materno si quæ ingenio velit agra subire  
 Obsequia, & blandi fastidia ferre laboris.  
 Hanc neque non validam patiar, ne regius infans  
 Contactu culpam trahat, & spem fallat avorum:  
 Nec placet aut iam tum vergenti ignava papilla,  
 Aut contrà rudis, & prima qua focta iuventa

Nesciat

Nesciat infirmi nutrix mala tædia alumni  
 Sponte pati, & querulo vagitu rumpere somnos.  
 Adhuc præcipue mores, vitaq; probatae  
 Compositus tenor, & qualem decet esse prudentis  
 Matronæ neque enim interdum minus ubere blandaæ  
 Nutricis pueri attrahimus, quam semine ab ipso  
 Matris, & antiqua ductorum ab origine patrum.  
 Ac veluti silvae, laudatq; puma sapore  
 Degenerant, patriumq; folium mutata, recusant  
 Ferre genus notum, & consuetos arbore succos:  
 Sic hominum ruit in peius generosa propago  
 Altura vicio indigna, & nisi cura resistat,  
 Naturamq; novam, atque externas degener artes  
 Induit, & gentem paulatim exsudat avitam,  
 Atque ideo frugiq; animorum, acrisq; iuventæ  
 In signem prius exquirunt, tum deinde salubri  
 Disponunt habilem ventura ad munia viæ,  
 Dilutiq; mero bacchi, licet humida vina  
 Ipse parum credam succis differre cicuta  
 In pueri, nisi septennis iam solibus auctis  
 Decoxit tenera conceptum etate fluorem.  
 Nam geminam mox post hiemem rude poscere pappa  
 Incipiatur, puroq; buas de fonte petitæ.  
 Ante reformidant quæq;: & quod sepe videmus,  
 Si quando solito candens liquor ubere defit,  
 Horrent lac quoq; non suetum, & ieiunia durant:  
 Tantum usus valet in teneris: notæq; papillæ  
 Poscunt, & sicco nequidquam gutture lambunt,  
 Vagitusq; repellent puerili concava tecta.  
 Quod nisi quamprimum causa, morboq; reperto,

Occurris culpa, & mammarum claustra relaxas :  
 Ne quidquam pius infante miserabre questus,  
 Flaventiq; voleis miseris succurrere capra.  
 Presertim si conceptus, properataq; damno  
 Est Venus, & non ulla uteri spes arte levandi.  
 Verum hac ut teneris metuenda infantibus avi,  
 Ignarisq; cibi : sic postquam firmior et as  
 Natura iam præsidio, & muniverit armis,  
 Proderit invitatos etiam, multumq; rebelles  
 Intempestivo lactis depellere ab usu:  
 Paulatim tamen, & ne qua vim sentiat infans.  
 Sordentiq; luto, & tactu picis ubera nigra  
 Porgenda, aut aloes occulto infecta sapore:  
 Sponte sua blandum ut nectar desuetat amare,  
 Offensus roties suppositi fraude veneni.  
 Illud in his moneo repetens, ne quando solutum  
 Nexibus, & tepido perfusum corpora rore,  
 Aut tenues vestes mutatum, atque humida lina,  
 Ante crepundillis properes involuere suetis,  
 Et solitis artare modis undantia membra,  
 Brachia quam surasq; breves, & cetera natu  
 Membra locis aptos, studio composta fideliter.  
 Nam sepe incaute culpa nutricis inertis  
 Vidiego mendoso foedam distorta plicatu  
 Membra notam sera traxisse in tarda senecte  
 Tempora, nec medicea potuere avertere curae,  
 Hippocratesq; senex, et Pergameus Galenus,  
 Nec suspensa Deis miseranda vota parentis.  
 Quid dicam undantem que porrectura papillam,  
 Mollibus è stratis gnayum levat impigra corpus,

Nec

Nec gremio exceptum carum nisi laetat alumnum?  
 Ne superincumbens miti decepta quiete  
 Suffocet tencrum, & ne quidquam vanam moventem?  
 Quid quæ pensibilibus cunis stans ubera præbet?  
 Nec tunc illa quidem aut cubito secura gravato  
 Inniti, sociave gravem sine fallere noctem.  
 Tanta est humanis taciti pellacia somni.  
 At quum plena saturiam duxerit ubera natus,  
 Inq; vicem blandus sopor adgrauat, ecce sororem  
 Aduocat, & parui curam commendat alumni.  
 Illa sedens dextra cunas mouet, & simul ore  
 Imimit tenues modulata ad carmina somnos.  
 Nam puero modò Nestoreæ longanae senecte  
 Secla optat, nunc Pellai ducis incolta regno  
 Nomina, Achillea nunc fortia prælia dextra.  
 Hunc non Cliadiæ facie, non voce Pericles  
 Vincat, in hoc plebes firmit sua vota patresq;  
 Ignoti q; velint populi potuisse videre.  
 Inter ea placida vagit si forte quiete  
 Excitus, accurrit subito, & plena ubera porgit,  
 Aut pictam ostentat volucrem, aut laquearia tec*i*  
 Aurata, ac densum crepitantem ex arc canoro  
 Bracteolam, & lacrumas spectaclo avertit inani.  
 Nam mihi ne quoq; quisquam laudaverit illam,  
 Quæ personatum puero ostentare Cyclopa  
 Gaudet, & hirsuta Antiphata terrere figura,  
 Crescentesq; animos puerili in pectore frangit,  
 Indignaq; replens cura, miseroq; pavore :  
 Neficia, quanta supersticio mortalibus agris  
 Damna ferat, primisq; haustum grave virus ab armis.

Quò magis & tenebras, & cæca silentia noctis,  
 Formandi, & strepitus iam tum contemnere inaneſ;  
 Frigoraq; innocuisq; pati Spartanæ lavacri  
 Artibus, atque habili membris dare roboraludo;  
 Sub love detectum vitta cohibente capillum.  
 Nec quidquam tactu horrendum gustuve putare;  
 Quod non perniciem tentantibus adferat ullam.  
 Nam quamquam antiquo veterum de semine patrum  
 Multa modis multis cacaratione videmus  
 Inſluere interdum, & ferros revocare nepotes  
 Naturam, gentisq; notas ac signa referre:  
 Pleraq; ſunt tamen altura, nec inutilis agri  
 Vſq; adeo quisquam eft animi, qui cernere murem  
 Exiguum non ſufcineat, quem bratſica tacta  
 Ledat, & adſpectu vilis paleſcat echinii;  
 Aut rutam horreat balantem, atq; cytherida buxum;  
 Delicias regum, & viridianis nomina filiae,  
 Multaq; præterea non diſſona talia monſtris:  
 Si non vanaparens, & nutrix vanior illa,  
 Dum cupidus adſectant ſimilem oſtentare parenti  
 Maternumq; probant utero graue teſte pudorem;  
 Singula rimata certi inclinamina alumni,  
 Ingererent multa, atq; alerent ea ſæpe probando;  
 Quæ crescente debinc animo, crescentibus annis;  
 Preſertim veteri exemplo ſubnixa fuorū,  
 Paulatim adſumunt vires, & robore ademto  
 Ima penetrali radice in pectora tendunt,  
 Poſſeffumq; agitant hominem, verſantq; premendo.  
 Qualis vbi ſæpe ignoto commiffus adheſit  
 Surculis, aut platani trunico, aut frondentis olivæ;

Ille quidem primo rudiſ, impatiensq; laborum,  
 Et tantum attactu excuſſus propè ſimplice euntum.  
 At ſi ſecundis adoleuit robur ab annis,  
 Securus tempeſtatum, caliq; ruine,  
 Explicat ingentes ramos, ſinuosaque pandit  
 Brachia, nativumq; altè nemus occupat umbra,  
 Largus opum, regnatq; immoto robore victor.  
 Nam cur arua iuvat gnarus verſata colonus,  
 Pomaq; coguntur iuſſos dare mitia ſuccos?  
 Cur cadit ingenij vis inſita deſide vitæ,  
 Si contrā augeri nequit, ex miteſcere cultu,  
 Nec doctrina potefſperatum inſundere rectum?  
 Scilicet acria ſolitus regione vagari  
 Falco leviſtudio adſiduo tamen atque labore  
 Adſueſcit vigilem paulatim ferre magiſtrum,  
 Deieſtaq; procul celsa de nube volucre,  
 Rurſus in obsequium ſolitum, & ſua vincla redire:  
 Nos hominem fœta exceptum de matre cadentem,  
 Ignarumq; ſui, & tantum ad monſtrata paratum,  
 Speramus non admonitu, non poſſe moveri  
 Exemplo, & prime blanda adſuetudine vitæ,  
 Si modò non vana accedit cultura regentis?  
 Nam cui non Cybele eft collo veſtata leonum  
 Nota? quis eo næſit certa mina gentis,  
 Impositasq; arces nigrantis tergore belua?  
 Ipſe greges inter memini, atque armenta ſclavena,  
 Qua deferta Rhoas etiam nunc mœnia monſtrant,  
 Indigenam vidiffe lupum, quem matre perempta,  
 Nutritumq; ſero, & fœta canis ubere paſtor  
 Miſcuerat levibus Serbis, fidisq; molofſis.

Ille inter teneros versari innoxius hædos,  
Custodisq; modo fætas ambire capellas,  
Aut silvis errare vagus semperq; cruentus,  
Nec nisi raptata præda cum parte redire.  
Cura tamen princeps, lupus agnitus, hunc ubi primum  
Senxit adesse, animis hostilibus ilicet ire  
Obvius, & morju primus dare vulnera, primus!  
Sternere humi præsum, atque hosti infultare iacenti,  
Cognataq; ferox latari sanguine cadi.  
Tantum humana potest longa experientia cura.  
Quo magis ò monitis hic quisq; adverte mentem,  
Infantesq; animos, monstratorumq; capaces,  
Artibus & placido iam inde exercete decoro,  
Servili dicto procul, exemploq; remoto  
Degeneri, ne commentis exercita vanis  
Concidat in primo surgens nova pectori virtus,  
Immanemq; notam venientibus adferat annis.  
Talis Achæmenium que regem Perside in alta  
Eduxit, populiq; Asia, regnusq; verendum,  
Spaco: & Rhomuleis multum laudata Latinis  
Acca parens: gratoq; p̄j que munere alumnī  
Nunc quoq; in Hesperia nomen \* tenet advena terra.  
Talis & ipsa, siue quondam exserta parato  
Ithome, gravida tunc primum matris ab alvo  
Excepitq; Iovem venientem, atq; ubera parvo,  
Ubera nectareis porfit rorantia guttis.  
Et tamen exacto Pisai pulvere lustri  
Hæc quoque pellenda est sensim tibi, sej; movenda,  
Tradendusq; puer iam tum vitaq; magistro  
